

AVGVSTI HERMANNI

FRANCKII,

S. THEOL. PROF. ORD. PAST. VLRICIANI,  
ET GYMNASII SCHOLARCHÆ

COMMENTATIO  
DE  
SCOPO LIBRO-  
RVM VETERIS ET NOVI  
TESTAMENTI.



Col. III, II. Τα πάντα, και ἐν πᾶσι  
χριστός.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,

Typis & impensis Orphanotrophei, c1b lxxx xxiv.

INSTITUTION

COMMENTAR

SCOPUS LIBRI



LIBRARIUS



LECTORI IN CHRISTO  
PERDILECTO

*Vberriamam veritatis celestis, & eius, qui  
est ipsa veritas, agnitionem, atque sa-  
lutem e fonte salutis abundantissimam!*



Væ ante com-  
plures annos  
de *Scopo librorum  
Veteris & Novi  
Testamenti me-  
ditatus* sum,  
quæque subinde eodem de argu-  
mento auditores meos docui, ea  
nunc Tecum quasi per summam  
præsenti in tractatu communi-  
cantur. Primo enim *Commentatio  
de scopo librorum Veteris Testamenti*

) 2 heic

PRÆFATIO

heic Tibi exhibetur, quam post  
iteratas sæpius eodem in genere  
meditationes, tandem anno  
clo lccc xii. occasione exponenda-  
rum *Prælectionum Hermeneuticarum*, &  
antea habitarum, & tum quidem  
ex parte, postea plene editarum,  
latine conscriptam discipulis tra-  
didi. Deinde cum ista modo dicta  
commentatione statim heic con-  
iungitur altera *de scopo librorum Noui Te-  
stamenti*, quæ excerpta & in lati-  
nam linguam translata est a Cl. DN.  
IO. HENRICO GRISCHOVIO, Hal-  
berstadiensi, ex *Introductione ad le-  
ctionem Scripturæ Sacræ*, in primis Noui  
Testamenti, anno superioris sæ-  
culi nonagesimo octauo a me ger-  
manice edita, vna cum epitome  
quæstionibus ac responsionibus  
comprehensa, quæ proinde heic  
etiam adiecta cernitur. Opuscu-  
lum istud hoc ipso tempore, quo  
hæc

hæc scribo, inferuit mihi tractandæ  
 publice cathedra in academica v-  
 beriori expositioni consilii Spiritus  
 S. in singulis vtriusque fœderis  
 libris Θεοπνεύσεως, in quo plus plusque  
 & in dies accuratius inuestigando  
 ingens, immo præcipuum sacrae  
 exegeteos momentum inesse, haud  
 temere adfirmo. Tu, Lector DEi  
 amans, isthæc æqui bonique, quæ-  
 so, consulas, atque DEum mecum  
 ores, vt, quamlibet hæc sint, aut vi-  
 deantur tenuia, per ipsius gratiam  
 ac benedictionem cedant in ve-  
 rum ac solidum plurimarum ani-  
 marum, quod specto vnice, emolu-  
 mentum. Vale. Halæ d. xx. Sept.  
 cloccxxiii.

A. H. F.

)(3

Σύνοψις

Σύνοψις

## Scopi Librorum Veteris Testamenti.

§. I. De consideratione scopi monita quadam in Praelectionibus Hermeneuticis suppeditata heic repetenda esse	p. 1
§. II. Notandam esse differentiam inter Vetus & Nouum Testamentum. Veteris Testamenti scopum in Nouo declarari	2
§. III. Scopus librorum Veteris Testamenti in genere	3
§. IV. Scopus libri primi Mosi	4
§. V. Scopus libri secundi Mosi	6
§. VI. Scopus libri tertii Mosi	9
§. VII. Scopus libri quarti Mosi	11
§. VIII. Scopus libri quinti Mosi	13
§. IX. Scopus libri Iosue	15
§. X. Scopus libri Iudicum	17
§. XI. Scopus libri Ruth	19
§. XII. Scopus libri 1 Samuelis	20
§. XIII. Scopus libri 2 Samuelis	23
§. XIV. Scopus utriusque libri Regum	25
§. XV. Scopus librorum Chronicorum	28
§. XVI. Scopus libri Esre	34
§. XVII. Scopus libri Nehemie	37
§. XVIII. Scopus libri Estheræ	38
§. XIX. Scopus libri Iobi	39
§. XX. Scopus Psalmorum	42
§. XXI. Scopus libri Prouerbiorum	65
§. XXII. Scopus Ecclesiastæ Salomonis	66
§. XXIII. Scopus Cantici Canticum Salomonis	68
§. XXXIV.	

SYNOPSIS.

§. XXIV. Scopus Prophetarum, Speciatim vaticiniorum Iesaiæ	69
§. XXV. Scopus Ieremiae tum vaticiniorum tum Threnorum	76
§. XXVI. Scopus vaticiniorum Ezechielis	79
§. XXVII. Scopus libri Danielis	81
§. XXVIII. Scopus vaticiniorum Hoseæ	85
§. XXIX. Scopus prophetiæ Ioelis	87
§. XXX. Scopus prophetiæ Amos	89
§. XXXI. Scopus Vaticinii Obadiæ	92
§. XXXII. Scopus libri Iosæ	93
§. XXXIII. Scopus libri Michæ	94
§. XXXIV. Scopus prophetiæ Nabum	95
§. XXXV. Scopus vaticiniorum Habacuci	98
§. XXXVI. Scopus prophetiæ Zephaniæ	100
§. XXXVIII. Scopus prophetarum Haggai, Zachariæ & Malachiæ	102

Σύνοψις.

Scopi librorum Noui Testamenti.

§. I. Novum Testamentum triplicis generis libros continere	109
§. II. Scopus histeriarum Euangelicarum	112
§. III. Omnium quatuor Euangelistarum vnus idemque scopus	113
§. IV. Scopus Euangelistarum non sine fructu consideratur	ibid.
§. V. Scopus Actuum Apostolorum	115
§. V. Scopus Epistolorum Pauli in genere	117
§. VII. Scopus Epistolæ ad Romanos	119
§. VIII. Scopus Epistolæ prioris ad Corinthios ex ipsis Pauli verbis cognoscitur	122
§. IX	

SYNOPSIS.

§. IX. Scopus posterioris ad Corinthios Epistola	127
§. X. Scopus Epistola ad Galatas	129
§. XI. Scopus Epistola ad Ephesios	132
§. XII. Scopus Epistola ad Philippenses	135
§. XIII. Scopus Epistola ad Colossenses	138
§. XIV. Scopus Epistola prioris ad Thessalonicenses	141
§. XV. Scopus Epistola posterioris ad Thessalonicenses	143
§. XVI. Scopus primæ Epistola ad Timotheum	145
§. XVII. Scopus secundæ Epistola ad Timotheum	148
§. XVIII. Scopus Epistola ad Titum	150
§. XIX. Scopus Epistola ad Philemonem	152
§. XX. Paulum esse auctorem Epistola ad Hebræos	153
§. XXI. Epistola reliquorum Apostolorum earumque scopus in genere	158
§. XXII. Scopus primæ Epistola Petri	164
§. XXIII. Scopus secundæ Epistola Petri	166
§. XXIV. Scopus primæ Epistola Ioannis	168
§. XXV. Scopus secundæ Epistola Ioannis	169
§. XXVI. Scopus tertie Epistola Ioannis	170
§. XXVII. Scopus Epistola Iacobi	171
§. XXVIII. Scopus Epistola Iudæ	174
§. XXIX. Scopus Apocalypseos Ioannis	175
Epitome scopi librorum Novi Testamenti	177
	seqq.

DE





DE SCOPO LIBRORVM VETE-  
RIS TESTAMENTI.

§. I.

*De consideratione scopi monita quedam in Prae-  
lectionibus Hermeneuticis suppeditata, heic  
repetenda esse.*

**Q**Vando iam cum animo statutum ha-  
bemus, singulorum Veteris ac No-  
vi Testamenti librorum scopum, di-  
vina adiuuante gratia, strictim tra-  
dere, statim in ingressu huius o-  
peris lectores ad Praelectiones nostras Herme-  
neuticas remittimus, utpote in quibus Posi-  
tione II. a pag. 28. vsque ad pag. 61. de *Con-  
sideratione scopi* non nulla monuimus, heic  
necessario repetenda. Adduximus ibidem  
locum ex SALOMONIS GLASSII *philologiae  
sacrae*, libr. II. part. II. sect. II. pag. 356. 357.  
358. qui dignus omnino est, ut itidem suo lo-  
co integer ante legatur & probe expendatur.

*Franck. Scopus V, T.*

A

§. II.

## §. II.

*Notandam esse differentiam inter Vetus & Novum Testamentum. Veteris Testamenti scopum in Novo declarari.*

His suppositis adgredimur primo libros Veteris Testamenti. Notandum hic primum est (observante D. MARTINO CHEMNITIO part. III. Locc. Theol. in loco de V. & N. Testamento, & utriusque discrimine) plerumque confundi solere hæc tria: *libros Veteris Testamenti, tempus utriusque foederis, & ipsum Vetus ac Novum Testamentum.* Deinde e CHEMNITIO loc. cit. observanda est differentia, quæ inter V. ac N. Testamentum intercedit. Ea enim doctrina, quum in lectionibus dogmaticis tradatur, hic quidem a nobis non immerito supponitur, carere autem ea in proposita nobis tractatione non possumus. Immo solida Scripturæ S. interpretatio magnam partem dependet ex accurata cognitione differentiae inter V. & N. Testamentum. Tertio observandum, Paulum in N. Testamento passim, in primis in Epistola ad Romanos, Galatas, Colossenses, priori ad Timotheum, Ebræos agere de scopo & fine Veteris Testamenti; ea vero loca omnibus accurate esse considerata, qui serio velint rem hermeneuticam tractare, & speciatim indagare librorum Veteris

teris Testamenti scopum, quandoquidem ex illo fundamento Paulus scripturam V. T. interpretatur, & a Iudæorum *ψευδεγνωστίας* vindicat. Atque hæc materia tunc temporis, quæ tractaretur, maxime erat necessaria. Iudæi enim, qui nomen Christo dederant, quum legi a teneris essent adsuefacti, non tantum ipsi Veteris Testamenti erant tenacissimi, sed idem etiam iugum conabantur ceruici ethnicorum imponere. Horum autem quum Paulus esset Apostolus, hoc ipsi plurimum negotii faceflebat, ac proinde is totis viribus id agebat, vt explicatissimam omnibus daret legis & euangelii rationem & obiectiones Iudæorum ex male intellecto scopo legis formatas dilueret.

## §. III.

*Scopus librorum Veteris Testamenti in genere.*

Antequam vero speciatim exponamus scopum librorum singulorum V. T. indicabimus eorum omnium scopum in genere. *Scopus librorum V. T.* ante omnia dicendus est vniuersalis ille (vt GLASSIVS loco supra adlegato loquitur) totius scripturæ scopus, CHRISTVS. Ipse enim Christus \* dicit, quod scripturæ (vbi aperte de libris V. T. sermo erat) sint *μαρτυρεῖσαι περὶ αὐτοῦ*. Huc spectant typi, promissiones, vaticinia, & ipsa lex pedago-

\* Ioh. V, 39.

gus dicitur εἰς χεῖρὸν \*. Possumus autem specialius scopum librorum V. T. sic declarare, quod 1) Deus voluerit nobis in iis aperire cognitionem suæ cum essentia tum voluntatis, eiusque non tantum legalis sed etiam euangelicæ; 2) exponere nobis, vt omnimodo nostræ ignorantia & infirmitati subueniret, historiam sanctissimæ suæ cum hominibus institutæ œconomia inde vsque ab orbe condito; 3) prædicere ecclesiæ πολυμερῶς & πολυτρόπως \*\* typis vaticiniisque omnia sua fata, vt de sapientia, veritate, misericordia ac iustitia diuina omnibus hominibus ad finem vsque sæculi liquidissime constaret, 4) his omnibus ita nobis subministratis sapientes nos reddere voluit ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu. \*\*\* His præmissis sequitur iam declaratio scopi singulorum librorum Veteris Testamenti in specie.

#### §. IV.

##### *Scopus libri primi Mosis.*

Scopus libri Geneseos vt recte percipiatur, ante omnia perpendendum est, Moysen considerari posse (1) vt historicum (2) vt prophetam (3) vt legislatorem (4) vt ducem populi Israelitici, qui regis functus esse officio dicitur. \*\*\*\* Exinde satis elucet pro hac diuersitate officii diuersum etiam libris Mosis in-

\* Gal. III, 24.

\*\*\* 2 Tim, III, 15.

\*\* Hebr. I, 1.

\*\*\* Deut. XXXIII, 5.

in esse scopum. In Genesi Moses vt historicus & propheta potissimum considerandus est; simul tamen vt sapiens legislator & gentis Hebraeae dux viam sibi hoc libro praeu-  
 niuit ad cunctas officii sui partes abundanter explendas. His suppositis, dicimus scopum scribendae Geneseos fuisse 1) vt rerum omnium origo ita proderetur memoriae, ne variis traditionibus, fabulisque corrupta ac dubia ad posteros perueniret; & vt certi fierent Israelitae, legem ac doctrinam in reliquis libris comprehensam & nuper acceptam, ab aliarum gentium religione diuersam, non esse novam, sed antiquam, Adamo ceterisque Patribus olim a numine traditam. 2) vt populo DEi de maioribus suis ac de linea sanctorum, nec non de promissionibus, ad ipsos, tamquam posteros, pertinentibus, constaret. 3) vt genealogia Messiae inde vsque a promissione eius prima protoplastis facta serie sua exponeretur ad luculentum veritari ac fidelitati DEi testimonium olim perhibendum. 4) vt veri Dei, creatoris caeli ac terrae, ab idolis Ethnicorum distinctissimi, cognitio in orbe instauraretur, & renouari semper facilius posset, si gens Iudaica imitatione reliquarum gentium ad idololatriam prolaberetur. 5) vt malorum, quibus genus humanum gravissime affligitur, vera explicaretur origo & ratio, ac de medela tantis malis adhibenda liquidissime constaret omnibus, adeoque ve-

ra & vnica DEum colendi ratio, quæ in fide & caritate consistit, apertissime tot confirmata sanctorum exemplis pateret. vid. LUTHERVS in *pres. V. T. & D.* D. PAULI ANTONII in *eam præfationem dissertatio. 6*) vt omnis DEI œconomia in Christo complementum & consummationem habitura sub externæ historiæ inuolucro & figura quasi compendio quodam profundissima sapientia referto sisteretur. Vnde haud incongrue prisca Hebræorum Patres Genesim vino in vuis suis recondito compararunt. Hoc itaque vinum absconditum, vt ex vuis exprimitur, etiam atque etiam Hermeneutæ videndum est. Exemplo suo præiuit Paulus in omnibus, quas ab eo habemus, epistolis. De Christo scripsit Moses\*. Christi itaque Spiritu, qui solus velamen aufert\*\*, Genesim legenda est, vt hunc Mosis scopum vltimum in ea intelligamus & attingamus.

### §. V.

#### *Scopus libri secundi Mosis.*

Quis sit Scopus Exodi, ex parte ipsum docet nomen. Sine dubio enim eam ob causam Exodus audiuit, quod exitus Israelitarum ex Aegypto princeps eius sit argumentum, immo vnicum, si tam late accipiatur, vt immediate antecedentia & consequentia ad ple-

\* Ioh. V, 46.

\*\* 2 Cor. III, 16. 17.

pleniorē eius descriptionem referamus. Quā in eductione populi Israelitici quum id præcipue spectandum sit, quod illum populum sibi DEus in peculium elegerit, suam ei voluntatem gloriamque præ reliquis gentibus manifestaturus, optime scopum, quem ipse DEus in libro Exodi habuit, expressit B. LYTHÆRVUS, quando ait in præfat. V. T. *In secundo libro, cum genus humanum multiplicatum impleuisset orbem, & tenebris immersum esset tantis, ut nemo fere sciret amplius, quid esset peccatum, aut vnde mors venisset; DEus Mosē producit cum lege, & adoptat sibi peculiarem populum, ut in eo mundum rursus illustraret, & per legem peccatum argueret ac patefaceret. Atque ita circumseribit populum omnis generis legibus, ut separet eum ab omnibus aliis gentibus. Iubet extrui tabernaculum, & insituit certos cultus, ordinat principes ac præfectos, ac ita populum suum munit legibus & hominibus quam commodissime, quorum ministerio tam politice coram mundo, quam spiritualiter coram Deo gubernari queant.* Potest hic, ad quem LYTHÆRVUS potissimum respexit, scopus generalis vocari, utpote qui ad vniuersam DEI œconomiam pertinet, quapropter etiam ante omnia obseruatu est necessarius. Cæterum in Exodo Mosēs præcipue legislatorem agit. Hinc scopus libri specialior is est, ut prima Theocratiae initia, eiusque incrementa non modo historice describantur, sed etiam ut le-

gum plurimarum origo & causæ, (vnde iudicari de sensu earum optime potest) auctoritas, item summa & obligatio iis parendi, exponantur ac posterorum memoriæ commendentur. Tandem, quum Propheticus, qui in Mose fuit, Spiritus in hoc libro, vbi ille obuelatam Israelitis faciem sistit cap. xxxiv. agnoscendus sit, indice ac interprete ipsa Noui Testamenti scriptura, palam est, scopum Mosis vltimum non in externa historia, sed *ἐν τοῖς ἐπιγενομένοις*, quæ ipsi Deus in monte ostendit, quærendum esse. \* Quæ omnia vt distinctius & clarius exponamus, dicimus scopum Exodi esse 1) vt exitus Israelitarum ex Aegypto describeretur, 2) vt constaret, quomodo Deus, orbe Idololatria obruto, suæ voluntatis sanctissimæ & peccati ei repugnantis dederit notitiam, 3) vt Theocraticæ reipublicæ fundamenta & quasi rudera describerentur, 4) vt Testamentum Vetus, in monte Sinai conditum, libro mandatorum perueniret ad posteros, idque populo instar pædagogicæ esset ad Christum; vnde Christus *τὸ τέλος* legis ac Veteris Testamenti vocatur, \*\* 5) vt res futuræ & suo tempore apparituræ interea suis quasi vmbreis ac figuris delineatæ repræsentarentur, 6) vt *τὰ ἐπιγενομένα* nobisque *ἐόρτα* & ad statum gloriæ reseruata *τοῖς ἐπιγενομένοις* expressa cernerentur.

## § VI.

\* Vid. Ex. XXV, 40. Act. VII, 44. Ebr. VIII 5.

\*\* Rom. X, 4. 2 Cor. III, 13.



## §. VI.

*Scopus libri tertii Moſis.*

Quis fit Leuitici Scopus, icidem ipſum ſubindicat nomen: id quod ita expreſſit LUTHERVS: *In tertio libro præcipue ſacerdotium conſtituitur cum legibus & cærimoniis, ut iuxta eas ſacerdotes munus ſuum obeant & populum doceant. Heic cernitur, ſacerdotale officium tantum propter peccatum inſtitutum eſſe, ut per illud hoc populo notum fiat, & coram DEO expietur. Ita ut hoc ſacerdotis munus ſit perpetuum, cum peccatis & peccatoribus occupatum eſſe. Ideoque ſacerdotibus nulli fundi in terra promiſſa attributi ſunt, nec politica gubernatio mandata aut promiſſa, ſed tantum eiſ cura populi inquinati peccatis impoſita eſt. Itaque ſi ſenſum litteralem & proximum huius libri ſpectemus, ſcopus eiſ maxime verſatur in ordinatione cultus Leuitici. Quum autem iſte cultus externus, promulgato Chriſti euangelio, ſit abrogatus, inutilis nobis foret libri huius tractatio, niſi ſub figura & vmbra ſacerdotii Leuitici interiora regni DEI comprehenderentur. Quemadmodum igitur ad adumbrandum ſacrificium, quod Chriſtus pro peccatis noſtris DEO obtulit, & ordinatus eſt cultus Leuiticus, & in hoc libro deſcriptus: ita verum huius libri ſcopum & uſum epiſtola ad*

Hebræos in salutari agnitione & applicatione summi sacerdotii spiritualis, Domini ac mediatoris nostri Iesu Christi, situm esse declarat. *Quid nobis utilius*, ait BRENTIUS in præf. ad Leuiticum, *quidue saluti nostræ magis necessarium contingere potest, quam veri cognitio eius sacrificii, quod Iesus Christus Dominus noster pro peccatis nostris obtulit? Hac enim cognitione fit, ut non solum agnoscamus Deum Patrem nobis propitium, & coram ipso iusti reputemur, adque ad faciendâ verâ sacrâ, siue illa bona opera vocare libet, inflammemur, sed etiam in omnibus afflictionibus, in omnibus aduersis, in morte denique ipsa, ad perpetuam in celo salutem seruemur. Ad consequendam autem & conseruandam cognitionem sacrificii Christi & fructus eius, plurimum certe prodest cognoscere ritus Leuiticorum sacrificiorum. Hæc enim sacrificia non fuerunt in hoc instituta, ut ex opere ipso, quod aiunt, operato expiarent peccata, sed ut admonerent sacrificantes de eo semine, quod erat Patriarchis promissum, & quod suo ipsius sacrificio contritum erat caput serpentis, ac benedictum omnibus gentibus h. e. ut essent tamquam contiones quedam de vno illo vere salutifero sacrificio Domini nostri Iesu Christi, quo & peccata nostra vere expiata sunt, & DEUS nobis perfecte placatus est. Hæc BRENTIUS: qui pie insuper monet veram exteriorum sacrorum rationem ac legitimum ipsorum usum, nempe quod instituantur ad docen-*

cendam, conseruandam & confirmandam veram in animis nostris religionem h. e. veram cognitionem voluntatis DEI erga nos, verum timorem DEI, adeoque fidem in DEum & obedientiam, quam DEO debemus, non vt hypocritæ existimant, vt propter hæc opera mereamur coram DEO omnem gratiam & felicitatem. Patet hinc etiam, quod multum omnino faciat ad verum Leuitici scopum agnoscendum, si genuinum ipsorum sacrificiorum & omnium externorum sacrorum finem & vsum ab eorum abusu sollicitè distinguamus, nempe quod illa Israelitis præscripta non sint, vt perpetuo durarent, neque vt ex opere, quod aiunt, operato iustificarent, sed vt vsque ad tempora Messæ viuæ quasi essent conciones de vero sacrificio pro mundi peccatis offerendo. Videatur ipsum Leuitici initium, vbi emphatice dicitur, quod ad Israelitas ea dicta sint; & conf. Pf. XL. & caput IX, ac X. epistolæ ad Hebræos.

## §. VII.

*Scopus libri quarti Mosis.*

Quis sit Scopus Numerorum seu libri quarti Mosis, satis clare expressit LVTHERVVS, quando ait: *In quarto libro, postquam leges iam latæ, sacerdotes & principes constituti sunt, tabernaculum exstructum, & cultus vni-*  
ver-

versus ordinatus est, & omnia parata sunt, quæ ad populum DEi pertinent: opus ipsum & usurpatio rerum hæcenus ordinarum inchoatur & periculum fit, quem successum & obedientiam ordinationes illæ sint habituræ. Ideo liber ille, multa exempla inobedientiæ & secularum pœnarum populi commemorat. Præterea leges quædam declarantur & novæ adduntur. Nam ita semper fieri solet, ut leges ferre sit persacile, sed ubi ad usum conferri & vim suam exercere incipiunt, ibi plurima se se impedimenta offerunt, & nequaquam id subsequimur, quod lex postulat. Ita liber hic insignibus exemplis monet ac docet, quam irritus prorsus sit conatus eorum, qui legibus homines iustos ac probos efficere cogitant, sicut & sanctus Paulus dicit, legem tantum peccatum & iram operari. \* Optime hæc œconomiam DEi in pædagogia legis obseruandam exponunt: in qua maximum omnium momentum situm est, utpote quæ ad ipsum Scripturæ S. scopum sanctissimum intime cognoscendum & rectius adplicandum haud parum conducit. Attamen ut paullo specialius rem declaremus, dicimus scopum libri huius esse, (præter generalem illum Scripturæ scopum, quem CHRISTVM esse diximus) ut (1) in genere ea, quæ Israelitis in deserto euenerunt, memoriæ posterorum accurate traderentur, (2) tentationes, quibus Israelitæ DEum offenderunt, easque sequentia DEi iudi.

\* Rom. IV, 15.

iudicia sempiterno illis exemplo essent, \*  
 (3) vt ipsi posteri hac ratione in veri DEi  
 cognitione tanto facilius conseruarentur, &  
 denique (2) vt Theocratia & Politia Israe-  
 litica fundamenta, leges ac statuta ipsa praxi  
 confirmarentur ac ætati ventura commenda-  
 rentur.

## §. VIII.

*Scopus libri quinti Mosis.*

Quis sit Scopus Deuteronomii, indi-  
 cat appellatio græca, quæ secundam vel  
 secundariam legem notat; Nomen enim  
 hoc libri docet, primum adeoque principa-  
 lem Mosis scopum hic esse repetitionem le-  
 gis. Pertinet huc etiam appellatio Rabbi-  
 norum, qui *משנה* vocarunt, propterea,  
 quod non sit aliud, nisi memoria rerum prio-  
 rum, quæ in reliquis habentur libris. In  
 repetitione igitur, declaratione & inculcatio-  
 ne legis, libri huius quasi cardo vertitur.  
 Ratio autem huius a Mose instituta repeti-  
 tionis facile perspicitur. Illi enim, qui  
 tum temporis viuebant, vel legem non au-  
 diuerant, vel quum lex daretur, tam tenera  
 fuerant ætate, vt eam ponderare digne satis  
 non possent. Illi autem, qui auribus suis an-  
 tea legem perceperant, iusto DEi iudicio  
 defuncti iam erant in deserto. Scopum  
 hunc itaque sic exprimit LUTHERVS; *In quin-*

10

\* I Cor. X, II.

to libro, postquam populus iam propter suam inobedientiam punitus est, & Deus beneficentia etiam sua eos aliquo modo allegerat, cum duo ipsis regna largitus fuisset, ut vel hoc beneficio mouerentur ad legem ipsius cum delectatione quadam & amore seruandam, repetiit Moses totam legem cum omnibus historiis, quae acciderant (exceptis iis, quae ad sacerdotium pertinent) atque ita denuo declaravit omnia, quae ad corporalem seu politicam & ad spiritualem gubernationem populi requiruntur. Ut hac ratione Moses tamquam perfectus legislator ubique officio suo satisfaceret, & legem non solum ferret, sed ubique praesens vrgeret etiam, ut seruaretur, & si quid desideraretur, id declararet & instauraret. Sed haec repetitio seu declaratio Legis in quinto libro proprie nihil aliud continet, nisi fidem erga DEVM & dilectionem erga proximum, eo enim tendunt omnes leges DEI. Occurrit ergo Moses declaratione sua omnibus iis, quae fidem in DEVM destruere possunt, usque ad cap. XX. Deinceps vero omnibus iis, quae dilectionem impediunt usque ad finem libri. Nec secundo praetermittendum est, quod liber quintus Moysi a quibusdam nominetur ספר תוכחות liber reprehensionum; propterea quod Moses iam morti vicinus grauius in hoc libro obiurgauerit atque cohortatus sit Israelitas, ne propter mortem eius exemplum Patrum suorum rebellium, qui mortui iam erant in deserto, imitarentur, DEVM deserentes ac legem eius  
fan.

sanctissimam contemnentes. Præterea tertio non tantum ducis ac legislatoris, sed etiam prophætæ officio in hoc libro fungitur Moses; & non modo de Christo, sed etiam de futuris populi fati temporibusque remotissimis, vaticinatur, id quod ad scopum huius libri quam maxime pertinet.

## §. IX.

*Scopus libri Iosue.*

Quis sit Scopus libri Iosue, quodammodo ex nomine liquet. Quemadmodum nimirum scopus Exodi fuit, ut describeretur exitus Israelitarum ex Aegypto: ita huius libri scopus est, ut eorundem ingressus in terram sanctam, duce Iosua factus, commemoretur. Neque enim a Iosua liber nomen accepit, tamquam ab auctore, sed post mortem Iosue ab alio quodam viro Dei, ex monumentis ab illo relictis posteritati, fuit compositus. Documentorum illorum fit mentio. Cap. X, 3. Cap. XXIV, 26. Præterea hic nonnulla narrantur, quæ haud dubie post Iosue obitum contigerunt. Huic scopo generali subordinati sunt in eoque includuntur fines, qui sequuntur speciales, nempe (1) ut promissis diuinis Abrahamo, Isaac & Iacobo, nec non Mosi toties totiesque factis sua constaret veritas: (2) ut ex hac impletione promissorum temporalium colligi etiam posset veritas promissionum  
cale-

caelestium ac spiritualium. (3) vt negotii salutis per Christum acquirendæ, certaminisque spiritualis ac victoriæ fidei figura ac typus posteris omnibus exhiberetur. (4) vt populo Dei certum ac firmum omni tempore testimonium superesset; quomodo in terram sanctam peruenerint; quo testimonio sequentibus temporibus sæpe opus fuit, tum ad populum ipsum in ordinem redigendum, tum ad fines tribuum accurate obseruandos, tum ad publicam rem contra hostes defendendam. Hos enim, vt fieri solet, calumniis ac mendaciis veram de ingressu Israelitarum in terram Canaan historiam corrupisse, vel inde constare potest, quod PROCOPIVS lib. II. c. X. de bello Vandalico expositurus populorum, qui sua ætate *Maurusii* vocentur, originem, adfirmet omnem hanc regionem olim Phœniciam fuisse appellatam, & a Gergesæis, Iebusæis, aliisque populis inhabitatam, qui propter Iosua aduentum in Ægyptum primum, deinde in Africam penetrantes, condiderint in Numidia urbem Tingen, ad quam visantur columnæ duæ ex candido marmore, quibus Phœnicia lingua insculpta legantur verba, quorum hæc sit interpretatio: *Ἡμεῖς ἐσμεν οἱ Φυγόντες ἀπὸ προσώπου Ἰησοῦ τῆς ληστῆς, υἱοῦ ναυῆ* h. e. Nos illi sumus, qui fugimus a facie Iosua prædonis, filii Naue. Ad hanc historiam itaque tamquam fundamentalem sæpius prouocandum fuit.



fuit. (5) Vt Iosuae ac seniorum fides ac pietas omnibus posteris documento & exemplo esset. (6) Vt seuera ac iustissima Dei iudicia, qui tot gentes, impleta peccatorum mensura deleuerit, non tantum Israelitis, sed etiam omnibus omni tempore gentibus terrorem incuterent, eosque ad Numinis venerationem stimulant. (7) Ne tot tantaque Dei miracula in populi Israelitici introductione atque idololatricarum gentium extirpatione facta neglectu & obliuione conterrerentur: quæ non minus quam ea, quæ in Ægypto patrata sunt, ad imaginem & typum nouissimorum Dei iudiciorum pertinent.

## §. X.

*Scopus libri Iudicum.*

Quis scopus sit libri Iudicum, (1) indicat ipsum hoc libri initium; *Factum est autem post mortem Iosue &c.* Ad continuandam nimirum historiam sacram, libris Moysi & Iosuae comprehensam, præcipue hic liber concinnatus est, & quidem, vt Hebræi aiunt, a Samuele Propheta, saltem circa eius ætatem a viro Θεοπνεύτω, quod ipsa scribendi ratio sanctissima edocet. Vnde etiam apparet (2) auctori eius propositum non fuisse, vt externum tantum Israelitarum statum memoriæ proderet, sed vt defectionem eorum, interiora reipublicæ vulnera, epidemice corruptionis originem, calamitatum, ve-

Franck. Scopus V. T.

B

ras

ras causas, vicissitudinum a Dei iustitia ac misericordia, illa quidem aduersus apostatas, hac erga pœnites, dependentiam, verbo: vt τὸ Θεῖον vbique & quolibet in statu obseruatum, veram Dei cognitionem, verumque eius cultum, & quæ de peccato, de pœnitentia, de statu gratiæ, de vigilantia in statu rerum meliori, de vera pietate, immo etiam de magistratus in corrupto hoc humani generis statu necessitate hominibus cognitu quam maxime necessaria sunt, ad posteros propagaret. Quod certe sic ab auctore huius libri præstitum est, vt habeamus hic, quam imitemur, diuinam sapientiam, non tantum πρὸς διδασκαλίαν, sed etiam πρὸς ἔλεγχον, hoc est plenissimam animorum conuersionem ipsa exemplorum inductione grauisissimaque descriptione comparatam, ideoque πρὸς ἐπανόρθωσιν etiam siue correctionem veram ac solidam, & πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ apprime facientem. (3) Dum liber Iudicum vocatur, docemur, scopum eius in specie esse, vt historia duodecim Iudicum Israelis, qui sunt, Othoniel, Ehud, Samgar, Debora & Barak, Gideon, (Abimelech non diuinitus excitatus iudex fuit, sed regis nomen ipse sibi temerario ausu sumsit) Thola, Iair, Iephra, Ebzan, Elon, Abdon, Simson, horum inquam duodecim Iudicum historia, tria continens secula, describatur, vtpote quod prorsus singulare reipublicæ Iudaicæ tempus fuit,

fuit, imprimis post tot ac tanta Dei miracula ac beneficia, quibus hunc populum in toto orbe inlustrem ac conspicuum reddiderat. Singulares sunt, qui in ipsis iudiciis facile aduertuntur, defectus; singularis ratio res maximas conficiendi leuissimis instrumentis; singularis successio. Habent ergo quod in hoc libro aduertant, qui œconomiam Dei accuratius pernoscere student. Et vt hic liber ad Prophetas priores, pro recepta Hebræorum diuisione, referri solet, ita (4) eum ex scopo ipsius Dei propheticum dicere non dubitamus. *Singulariter*, ait FR. BURMANNVS in *œconomia veterum* part. I. p. 378. *hic obseruauit* AVGVSTINVS, *in hisce iudiciis vt & subsequētibz regibus, variis modis representatum fuisse statum Christi & ecclesie, sicut verbi gratia priores fuerunt iudices, quos deinde exceperunt reges: Ita primo iudicium exsequitur Christus, denuo regnum suum fundaturus & consummaturus &c.* SEBASTIANVS SCHMIDIVS utilitatem huius libri ad quatuor Capita reuocat, quod in eo (1) doceatur virtus fidei, (2) historia conseruationis & factorum ecclesie continetur. (3) beneficia Dei erga ecclesiam exponantur. (4) typi quam pluri mi exhibeantur.

## §. XI.

*Scopus libri Ruth.*

Venimus ad librum Ruth. Tametsi  
B 2 paucis

paucis hic liber capitibus constet, & non nisi vnam historiam, eamque familiae vnus nobis exhibeat, singularis tamen est momenti, & sine maxime sancto ac diuino a Dei Spiritu concinnatus ac posteritati relictus. Nam ipsum huius libri initium monet, quam fuerit sapientia Dei sollicita, vt historiam sacram, in eaque Dei oeconomiam in conseruando vero catu sanctorum ordine nobis enarratam sifteret. Clausula vero huius libelli, cum Matthæi I, v. 1, & seqq collata, aperissime indicat, illum ad genealogiam Christi texendam ac custodiendam totum esse compositum, adeoque cum N. Testamento arctissimam habere connexionem. Persona vero, de qua præcipue in hoc libro agitur, e profana gentilitate oriunda, sed coniugii fœdere cum viro Iudæo coniuncta, & in genealogiam Christi relata, non minus quam Rahab signo esse debuit ecclesie Iudaicæ, Christum & Gentium & Iudæorum fore Seruatorem. Denique hic significari iam debuit, Christum Dominum nostrum in Ephrata seu Bethlehem nasci debere; id quod deinde clarius dictante & hanc historiam explicante Spiritu Dei Michas cap. V, vaticinatus est.

## §. XII.

*Scopus libri I. Samuelis.*

Quis sit scopus libri primi Samuelis

1) ex

1) ex ipsa denominatione, atque ex initio & fine libri facile constat, nimirum externum eius scribendi scopum fuisse, vt historia Samuelis memoriæ proderetur, tamquam maxime insignis Prophetæ, quem Deus populo Israelitico excitauit. Quo ex fine profectum videtur, vt mortem Saulis etiam hic liber comprehenderet, quippe quam ei Samuel paullo ante prædixerat. (2) Quum ab aliis dicatur liber primus Regum, scopus & argumentum ex hac quoque denominatione patet. Mutatio enim regiminis in populo Israelitico describenda fuit. Impio namque Theocratiaæ tædio, vano prætextu, & contra Dei voluntatem Israelitæ ingrata aduersus Samuelem mente Regem sibi ad imitationem vicinarum gentium adsciuerunt. Quæ res profecto haud debuit silentio transmitti; vt-pote sine cuius cognitione libri omnes subsequentibus temporibus scribendi magna laborassent obscuritate, quum reliqua omnia in historia Iudaica inde dependeant. (3) Vt filium historiae externæ, ita etiam filium economiæ diuinæ continuari hoc libro oportuit, qua nimirum Deus vsus est erga populum ingratum, inconstantem, refractarium, eum tolerando, corripiendo, omnibusque modis ad bonam frugem reuocando, quin ipsa etiam mala ei in bonum conuertendo. Ita Deus posteritati ad respiscendum Deumque

& timendum & amandum, atque ad mala

B 3 *III. SA* omnia

omnia euitanda caussam ansumque voluit sup-  
 peditare. Multum igitur hic liber conferre  
 potest, vt quis veram ac solidam sapientiam  
 sibi comparet augeatque. (4) In genere Deus  
 voluit exempla suæ misericordiæ pariter ac  
 iudiciorum, singularium item virorum Dei,  
 fide, integritate vitæ, malorum omnium to-  
 lerantia, rebusque gestis maxime conspicuo-  
 rum omnibus posteris hoc libro commenda-  
 re. Hinc in hoc libro ideam habemus ma-  
 gni Dei serui in persona Samuelis, qui a te-  
 neris vsque ad seram senectutem, omnibus  
 aduersis constantissime superatis, fidelem se  
 Deo & populo præbuit, precibus apud Deum  
 plurimum valuit, nec regi, quum res po-  
 poscit, vmquam pepercit. Vnde identidem  
 ad Samuelem reliquis in libris prouocari a-  
 nimaduertimus. Sed præterea etiam Dauidis  
 post vnctionem fata singularia, aduersa, pe-  
 ricula, exilium, & comprobata tot tan-  
 tisque documentis erga Deum fidem, pieta-  
 tem, obedientiam quis non ad ipsum ea o-  
 mnia tam sollicitè & accurate commemorantis  
 scopum & finem referat? Et quam singula-  
 ria quæso sunt Dei iudicia, quæ aduersus Sau-  
 lem, Israelitas, Philistæos, exercuisse Deus  
 in hoc libro legitur? quam singularis proui-  
 dentia Dei ex omnibus elucet? Denique  
 Christus, vt totius scripturæ, ita huius libri  
 scopus est primus atque vltimus.\*

§. XIII.

\* Vid, Act, III, 24.

## §. XIII.s

*Scopus libri II. Samuelis.*

Quis sit Scopus libri posterioris Samuelis, magnam partem patere potest ex iis, quæ de prioris libri scopo attulimus. Ceterum ex specialiori huius libri argumento de specialiori quoque auctoris scopo iudicium formari facile potest. Versatur autem peculiare huius libri argumentum in descriptione xl annorum: regiminis Dauidici post mortem Saulis, ut patet ex cap. V, 4. Itaque quum auctor Θεόπνευτος hunc sibi finem habuerit propositum, ut relinqueret posteritati accuratam rerum Dauidicarum historiam, eamque ita a rebus gestis aliorum iudicum ac regum populi Israelitici seiunxerit, ut, quum initium eius non potuerit narrari, quin facta aliorum immiscerentur, reliquam peculiari comprehenderet libro, liquidissime exinde patet, historiam ipsam tanta cura memoriæ proditam finem habere ex singularibus & arcanis æconomi ædiuinæ rationibus profectum. Et (1) quidem Dauid, postquam Saul reprobus factus erat, omnibus regibus subsequenter tamquam exemplar proponi debebat, cuius vestigia laudabilia sequerentur singuli, culpanda autem euitarent: quam ob causam toties totiesque vita regum sequentium quasi ad regulam vitæ Dauidicæ examinatur. Necessarium igitur erat, ut ea vita

præ reliquis omnibus accuratissime narraretur, quæ veluti regulæ & normæ loco cunctis existere debebat. In omnibus enim David erat vir secundum cor Dei, vt loquitur scriptura, excepto casu Vriæ. Deinde obseruandum omnino est, quod Deus singularem plane rationem habuerit virorum, quorum ætas notabilem maxime constituit totius ecclesiæ periodum, & quibus præ reliquis promissiones de Messia confirmatæ fuerunt, vt vel eam ob causam scriptores sacri operam præcipuam in vita illorum recensenda locauerint: quemadmodum v. g. Moses in vitis Patriarcharum (in primis Abrahami) exponendis operosior fuit. Nouam autem periodum in Dauide inchoat ipse Spiritus Sanctus. Vnde etiam Matthæus cap. I, 17, ab Abrahamo vsque ad Dauidem numerat quatuordecim generationes. A rebus autem, quæ initio nouæ periodi contigerunt, dependere solet progressus & finis eiusdem periodi, adeo, vt in ipsis viris in limine quasi periodi viuentibus & istam quasi aperientibus imaginem aliquam totius periodi deprehendas. Initium ergo periodi recte & accurate describere ac repræsentare magnæ & diuinæ sapientiæ, & summæ utilitatis opus censendum est. Denique quum David Christi, vt regnum eius regni Christi, typus extiterit plane illustris, testante passim scriptura, utique id etiam referendum est ad finem, quem

Spiritus



Spiritus Sanctus in hoc libro sibi præstituit, adeo, vt hunc finem si tollas summam libro dignitatem atque præstantiam auferas.

## §. XIV.

*Scopus vtriusque libri Regum.*

Quis sit scopus libri vtriusque Regum, ex parte iam intelligi potest ex indicato librorum Samuelis scopo. Specialius tamen illud etiam declaratum imus. Est itaque hic scopus (1) vtriusque libri Regum, vt res gestæ Regum Israelis & Iuda, & status istius regni tam in suo flore ante scissionem, quam in defectione & interitu post diuisionem, enarrarentur describerenturque, inde vsque a regno Salomonis ad captiuitatem Babylonicam, atque sic continuatio historiæ Ecclesiæ & rei publicæ sub regibus per quatuor sæcula & dimidium propemodum daretur (2) speciatim libro priori regum id agitur, vt historia hæc per cxviii. annos exhiberetur, de quibus xl. ad Salomonem capite 1-xt. reliqui lxxviii ad quatuor eius in Iuda successores, Rehabeam cap. XII-XIV Abiam, Assam, Iehoschaphatum c. XV-XXII. & octo reges Israelis pertinent. Libro secundo autem continuatur historia XII. Regum Israelis per clv. annos & xxviii. regum Iudæ per cccxxx. annos. (3) quomodo Spiritus S. in his libris nostram spectauerit vtilitatem, perspicue his verbis exponit BRENTIUS: *Neque est, quod*

hi libri non cedant in nostram utilitatem, quoniam Reges in ipsis describantur, nos autem privati & idiōtas simus. Nam & Paulus ait: Quæ ante scripta sunt (sive de Regibus sive de priuatis hominibus) ad nostram doctrinam ante scripta sunt.\* In regibus enim declarauit DEus iudicia sua, ut unusquisque discat ex vno exemplo atque altero, hinc DEi misericordiam, hinc DEi iram. Ut cum scribitur, Reges Israelis impie egisse, & propter impietatem puniros, animaduertendum hoc erit unicuique priuato: quoniam si DEus impietati Regis non pepercit, quanto minus parcat impietati priuatorum hominum. Rursus, cum legitur, Hiskiam seu Ezechiam propter pietatem suam fuisse liberatum, quid aliud unicuique priuato significatur, quam quod debeat piam ducere vitam, ut & ipse ab omnibus aduersis tandem liberetur? Si quidem DEus non respicit personam, sive regis sive priuati: respicit autem pietatem vel impietatem. Sunt & in his duobus libris multa fidei, multa legis vel obseruata vel non obseruata exempla: quæ omnia in nostri eruditionem & doctrinam cedunt. (4) Non sufficit igitur ea, quæ hic commemorantur, tamquam historica legere; sed id potissimum lumine fidei hic quærendum est, quod Spiritus S. quando hos libros nobis scribendos curauit, a nobis præcipue voluit in iis obseruari. Ita omnes circumstantiæ sacrarii Salomonis; constructio

\* Rom. XV, 4.

structio magnifica templi Hierosolymitani; sapientia supernaturalis, quæ primis regni eius annis in ipso animaduersa est; horrendus eius lapsus post initia tam pulcra; diuisio regni post eius mortem; idololatria & reliquæ transgressiones regum Israeliticorum; vniuersalis veræ religionis subuersio in populo, quem DEus extulerat, & tam magnifice contra omnes hostes tutatus erat; frustra datæ redargutiones & miracula sanctissimorum Prophetarum Eliæ & Elisæi; tandemque dura captiuitas, quæ iustissima pœna erat eorum extremæ & immanis duritiæ ac peruersitatis, qui tam diu gloriati erant, se DEum ipsum habere Dominum; hæc, inquam, omnia materiam amplissimam nobis præbeant, vt ad nostram aliorumque vtilitatem spirituales singula transferamus. Hæc, quæ n. 4. diximus, optime monentur in præfatione libris Regum præmissa a Gallis, qui dicuntur *Messieurs du Port Royal*, qui libros Veteris Testamenti singulos singulis voluminibus in 8uo ediderunt cum adnotationibus ex scriptis Patrum maximam partem depromtis. \* (5) Manifestum etiam est, in his libris

\* Anno cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup> ccxvii. omnes libri V. & Noui Testamenti quatuor Voll. in folio, vt vocant, prodierunt Lutetiæ Parisiorum sub nomine *La Bible de Monsieur le Maître des A C I*. Plerique etiam Noui Testamenti libri cum adnotationibus in linguam Germanicam traducti & partim Hannoueræ partim Pragæ editi sunt.

bris perpetuam esse oppositionem regni DEi & regni Satanæ, ciuitatis DEi & huius mundi; artes item, praxin solitam & mutationes, in quibusuis regnis frequentes & quotidianas, hic quasi in speculo ostendi. (6) Præcipue notandum est, libros historicos V. Testamenti & inter hos potissimum libros Regum inseruire ex mente Spiritus Sancti debuisse Prophetarum vaticiniis a posteritate intelligendis; in quibus obscura nobis omnia forent, si historica rerum notitia destitueretur.

### §. XV.

#### *Scopus librorum Chronicorum.*

Ad libros Chronicorum pergimus, in quorum scopo exponendo licet videatur nos acquiescere posse in iis, quæ ad libros Samuelis & libros Regum diximus, suppetunt tamen, quæ speciatim de iis dicenda sunt & ad profundiorum eorum considerationem aditum patefaciunt. (1) Hebræis hi libri audiunt דברי הימים (verba factaque dierum) vt moneamur, numerari a sapientissimo numine annos ac dies, quos œconomix diuinæ a condito inde mundo præfinit\*, distingui a diuina prouidentia tempora in suas periodos, nec casu fortuito quidquam euenire, sed curæ esse DEo res hominum, in primis piorum, intueri eum omnia hominum dicta factaque,

\* Gen. I, 14.

Etque, & quasi in omniscientiæ libro descriptum habere rerum omnium particularium catalogum, vt in vitam reuocare omnes & vnicuique retribuere secundum opera sua possit. Maioris enim momenti res est, DEum populo suo dedisse Chronica per Spiritum Sanctum, quo afflati loquuti sunt sancti DEI homines, quam si omnes regum principumque historici monumenta antiquitatis conquirent, perfectissimumque orbi darent opus historicum. (2) Παραλιπομένων nomen tribuerunt his libris græci, vt intelligeremus, finem in iis conscribendis fuisse, vt, quæ omiserunt reliqui scriptores sacri aut fufius tractarunt, hic infererentur, aut summam ac succincte repererentur. (3) Temporis etiam habenda est ratio, quo hi libri scripti sunt, vt scopus eorum accuratius cognoscatur. Tempus autem ex clausula horum librorum intelligitur. Qui sæpius in libris Regum sub titulo chronicorum Regum Israelis & Iudæ citantur, ab his fuerunt diuersi: Hi vero post captiuitatem demum Babylonicam ab Esra, quæ est antiquissima & communis sententia, exarati sunt. \* In tam diuturna nimirum captiuitate genealogiæ populi DEI, non accurate satis, vt fas erat, continuatæ & adseruatæ erant. Hinc controuersia

\* Conf. DN. D. IO. HEINRICI MICHAELIS Præfatio, quam vberioribus adnotationibus suis in librum primum Chronicorum præmisit §. XV.

fiæ ferme infinite non poterant non oriri (non tantum de ipsis genealogiis, sed etiam de iuribus, privilegiis ac legibus inde dependentibus) nisi a Propheta per Spiritum S. loquente terminarentur. Habebat autem cura genealogiæ populi DEi sanctam ac diuinam originem, quam in Mose & in primis in genesi eius videre licet. Hoc enim adminiculo DEo visum erat confirmare historiam creationis mundi & propagationis generis humani, rem omnibus, quæ futura erant, sæculis & utilissimam & ad euertendum atheismum maxime necessariam; distinguere populum DEi a gentibus reliquis & lineam sanctam ab hominibus profanis a Patrum pietate deficientibus; seiungere tribum vnã ab alia, stabilire hæreditatis paternæ, primogenituræ, sacerdoti, ministerii sacri, aliæque iura; in primis vero Messiam quasi digito designare, vt cognosci ab hominibus certissime possit, quo ex vltimo eoque principe genealogiæ scopo necuntur reliqua omnia, quæ quin infinita sint, dubium non est, mysteria numerorum ex accurata dierum atque annorum mensuratione ac computatione, eorumque harmonia ac symmetria admirabili euoluenda, & ad summum, quod in Christo est, mysterium vltimo referenda. Et sic quoque ad verum, vt totius scripturæ sacræ, ita etiam huius libri Chronicorum, qui in duos libros hodie subdiuiditur, scopum cognos-

gnoscendum aditus aperitur. Ad Christum enim genealogiæ omnes Veteris Testamenti, quamquam dispari plane ratione, spectant; vnde postquam de genealogia Christi inde vsque ab Adamo scriptores N. Testamenti nos reddiderunt certos, desit plane studium genealogicum in sacris litteris, cuius antea tantam curam habuit Spiritus Sanctus. Et Apostolus \* animos plane vult arceri a genealogiis, non quasi sapientiam, prudentiam, iustitiam, misericordiam, veritatem DEi & alia ad nostri ædificationem omnino facientia in genealogiis V. T. spectari nolit, sed quod genealogiæ æque vt leges carimoniales in Christo terminum suum inuenerint, & ex eo fundamento inutilis porro sollicitudo de iis accurate recensendis existat. Immo DEus ipso facto ostendit, non ob aliam rationem, quam ob promissum semen mulieris se tam accurate numerasse generationes hominum. Quum enim antea tanta prouidentia ab orbe condito continuam dederit generationum seriem vsque ad Christum, deinceps a nato Christo inter ipsos Iudæos, ambitiosissimos alioquin genealogiarum scrutatores, disparuerunt quasi genealogiæ, argumento certissimo, quod iam in carne apparuerit Messias, vtpote e genealogia sua dignoscendus. Hæc quum ita se habeant, a captiuitate Babylonica emendatione genealogia.

\* 1 Tim. II, 4.

giarum, & quidem talis, quæ diuina constaret auctoritate, omnino opus fuit, ne dubium de Messia persona, vbi comparuerit, vltimum remaneret: quæ etiam ratio est, quam obrem & primo loco & maximo studio \* tribus Iuda recensetur, e qua nimirum nasci debebat Christus Dominus noster \*\*. Et quoniam iura ac priuilegia populi, & ipsa, vti dictum est, ad Christum spectantia, dependebant ex genealogiis, instaurari non poterat res publica & Ecclesia Iudaica, cuius rudera quasi ex captiuitate Babylonica supererant, nisi illæ; prius in ordinem redigerentur, Esra sapientissime, seu potius diuino iussu præstitit, breuemque, attamen sufficientem, adiecit rerum populi DEi historiam, quæ & ipsa in illo collapsæ & resurgentis rei publicæ statu necessaria quam maxime erat ad instruendos omnium animos de œconomia DEi eosque præparandos ad expectandum Messiam, cuius & in captiuitate\* & post eam nouas promissiones DEus dederat, adeo, vt in templo, quod tunc exstruebant, eum expectandum esse significaret. Huc etiam pertinet ordo a Davide iussu diuino in publico cultu præscriptus, & quod peculiariter in libro I Chron. præstitum est, accurate, euidenter & magno satis adparatu capitibus XXIV. XXV. XXVI. XXVII. expositus. Nam ea descriptio-

\* I Cron. III, 7.

\*\* Ebr. VII, 14.



ptione accurata tunc maxime opus erat ad instaurandum in populo e captiuitate reduce cultum publicum, eumque ad pristinum statum reformandum, inerantque ordini illi Daudico quamplurimæ regnum Messiaë (non tantum gratiaë sed etiam gloriaë) præ se ferentes figuraë, quas eo scopo in scripturam canonicam relatas esse, vt delinearent & adumbrarent τὰ ἅγια ἀληθινὰ ἢ ἐπιφανεία (qui etiam finis fuit descriptionis tabernaculi in Mose) docet ea figurarum expositio, quam Apocalypsis suppeditat, si eam cum capitibus citatis conferas. Ex his autem omnibus patet, Chronicorum conscribendorum \* scopum fuisse primo *externum*, nempe vt respublica & ecclesia Iudæorum omnisque eorum cultus externus Leuiticus post captiuitatem ad pristinum statum diuinis legibus præscriptum reuocaretur: deinde *internum*, vt animi omnium ad nouam de venturo Messia spem concipiendam erigerentur, in fide, quam in aduentu eius tot vaticiniis promisso collocabant, confirmarentur, & ab idololatria & impietate omni post tam seriam diuinitus immisssam castigationem ad pietatem veram reducerentur,

*Franck, Scopus V. T.* C §. XVI.

\* Vid. dn. d. 10. MICHAELIS loco citato. §. X.

## §. XVI.

*Scopus libri Esræ.*

Quis sit scopus libri Esræ, patet (1) ex nomine. Esræ enim ministerio Deus potissimum in iis usus est, quæ in hoc libro narrantur, maxime quidem a capite septimo huius libri. Ibi enim non modo describitur persona Esræ, sed etiam deinceps enarratur, quo pacto is vna cum senioribus Iudæorum, templo de nouo exstructo, & re diuina ordinata, porro politiam & rem ciuilem Iudæorum restituerit, atque emolumentum populi Dei studiosissime procurauerit. (2) patet ex connexionione cum antecedente libro posteriori Chronicorum. Versus enim duo ultimi illius libri repetuntur iisdem verbis initio libri Esræ, & hinc deinde nectitur sequens narratio. Scopus igitur libri huius fuit, vt continuaretur historia sacra populi Dei. Complectitur itaque restitutionem populi Dei in regionem suam, exantlata captiuitate Babylonica, ita vt prioribus quatuor capitibus narreretur exitus populi e Babele; capitibus sequentibus vsque ad nonum templi reedificatio; capite nono & decimo dimissio mulierum alienigenarum secundum præceptum diuinum. (3) vt periodus illa noua, & omnibus modis notabilis & admirabilis, rerum Iudaicarum testimonium haberet diuinum ac θεοπνευστον, æque vt antecedentes periodi omnes

omnes populi Dei: cuius rei causæ grauissimæ sunt, & facile ex consideratione œconomix diuinæ erga hunc populum intelliguntur. (4.) vt vaticinia Prophetarum accurate impleta esse omnibus Illa ætate & posteris etiam constaret. Per Mosen enim & Prophetas reliquos Deus sapiissime prædixerat fore, vt populus rebellis & refractarius tandem regione sua, diuinitus ex mera gratia & ob iuramentum patribus factum concessa, ob peccata & impenitentiam eiiceretur; prædictum erat, Babelem fore locum captiuitatis; item captiuitatem illam septuaginta annos duraturam; Deum non obliturum populi sui, sed illi se denuo misericordem ac benignum præbiturum; regna & monarchias mutari debere, vt populo via patefieret ad redeundum in suam regionem; Cyrum fore illum (raro enim exemplo nomine ipso Spiritus S. eum dudum designauerat \*) qui consilium illud Dei de restitutione populi sui sit exsequuturus; reliqua. Hæc omnia exacte ac tempore debito implementum nacta sunt. Et quemadmodum Gen. XV, 16. primus ingressus in terram Canaan prædictus, ac suo tempore impletus fuit: ita Ies. XLIV. XLV. Ieremiæ item c. XXV. & XXIX, secundus hic ingressus in eam ipsam terram prædictus fuit, & hoc libro iam accurate impletus legitur. Hic scopus Spiritus S, quem in libro

C 2

hoc

\* Ies. XLV, 1. seqq.

hoc sibi præstituit, quamplurima completitur, quæ particularim a lectore consideranda sunt, & ad eum finem singula referenda, vt Dei iustitia, misericordia, potentia, veritas, fidelitas, sapientia, prouidentia, gubernatio rerum huius mundi, cura ecclesiæ, & quæ cum his connexa sunt, recte inde intelligantur. (5) Necessarius fuit nouæ rei publicæ & instaurato nouo in templo cultui a Deo præscripto eiusmodi liber, ad quem posteritas idemdem recurreret, si origines indagandæ essent institutorum, quæ in vsu esse cerneret, immo vbi deprehenderet, quæ in reformatione ecclesiæ redarguta & emendata essent, atque sic a relapsu in eadem peccata tanto efficacius prohiberetur. (6) In his omnibus ad Christum tamquam finem vltimum respiciendum est. Ideo enim reducendus erat populus Iudaicus in terram benedictam, vt iusto tempore in ea implerentur, quæ prædicta in Christum & ibi implenda erant. Propter promissiones de Christo factas non poterat populus in captiuitate permanere, quo etiam Iesaias c. XL, 1. sequ. Ieremias c. XXX, 18 - 22. Daniel c. IX, 24. seqq. alique vaticiniis expressis respexerunt. Porro si quæras, quam ob causam decem tribus non reductæ sint in regionem suam, tribus Iuda autem, cui quidem tribus Benjamin, Levi, & ex reliquis tribubus pluriimi adhæserunt, redierint, hæud alia est euiden-

evidentior caussa ea ipsa, quod prophetiæ de Christo, qui ex tribu Iuda prodire debebat secundum carnem, implendæ restarent, impleri autem extra Palæstinam, salva veritate diuina, non poterant. Id quod etiam RVPERTVS TVICIENSIS in libro *de Victoria verbi Dei* aliique obseruarunt. (7) Huc etiam pertinet respectus typicus ad ecclesiam N. Testamenti & ad ipsa tempora Reformationis. In illis enim rebus V. Testamenti reformationem subeuntibus figuram exhiberi rerum nouissimarum haud dubitamus; nec infeliciter IO. COCCETVS, & qui vestigia eius sequuti sunt, complures insignioris notæ interpretes, hanc rem prosequuti sunt; licet in his etiam tenendum sit illud: *Omnia probate, quod bonum fuerit, tenete.*\*

## §. XVII.

*Scopus libri Nehemiae.*

Scopus libri Nehemiæ (1) intelligitur ex nomine, quod ab auctore suo accipit: qui hic etiam de se ipso sermonem instituens inducitur. Voluit igitur Spiritus Sanctus res ministerio Nehemiæ gestas hoc libro nobis commemorari. (2) Quum hic liber soleat quoque liber secundus Esræ vocari, hinc etiam scopus quodammodo percipi potest. Etenim non pauca, quæ simul ab Esræ & Nehemia gesta sunt, complectitur.

C 3

Habe-

\* 1 Theff. V, 21.

Habemus igitur hic ex scopo Spiritus Sancti continuationem historiae Iudaicae, & quidem periodi, ut computari solet, circiter quinquaginta annorum. (3) Duo sunt, quae Nehemias praecipue in hoc libro egisse narratur, primo murorum portarumque urbis Hierosolymitanæ exstructionem, secundo fœderis inter Deum populumque renouationem. Vtrumque facile tanti momenti esse intelligitur, ut in eo consistere libri scopus censeatur. Atque haec ea, quae de scopo libri Esrae monuimus, referenda sunt. (4) Esrae ac Nehemiae fidem, fortitudinem, pietatem, constantiam, zelum, reliquasque dotes, quas factis egregiis ostenderunt difficillimis illis temporibus, ad posterorum memoriam sollicitate transmisit Spiritus S. utpote in quibus multa, quae discerent atque imitarentur, habituri essent.

### §. XVIII.

#### *Scopus libri Estheræ.*

Scopus Libri Estheræ nobis optime describi videtur a D. MICHAELE WALTHERO in officina Biblica, quod sit, *commonstrare exserto quasi digito providentiam Dei in liberanda Ecclesia sua & perdendis illius hostibus. Deus enim, ut conseruaret populum suum, in quo nasceretur Messias, & hic mirabiliter propulsauit periculum, quod in omnes Iudeos, qui in Persia erant reliqui, confluxerat, ut hoc exemplo*

plo eos, qui domum redierant, consolaretur, & excitaret, ut confidenter & alacriter pergerent in restauranda Politia. Ita nimirum liber, qui nihil videri posset de Christo continere, rectissime ad Christum vnice refertur. Id quod in libro de *Victoria verbi Dei* RYPERTVS TVICIENSIS præclare ex serie historię sacrę demonstravit, & plenius prosequutus est. In his rebus enim non quæ homines egerunt ac machinati sunt tantum consideranda sunt, sed potius ipsius Satanæ *vehucera*, eo tendentia, vt populum & Ecclesiam Dei, adeoque promissionem de semine benedicto, quod ex hac gente expectabatur, subuerteret, cognoscenda sunt. De iis autem forte non satis conuinceremur, si hunc librum solum haberemus: verum, quum integræ historię sacrę præcipuum propemodum sit momentum pugna illa Draconis & Agni, cuius nouissima Apocalypsis describit, conferendus iste liber est cum reliquis, atque sic consilium Dei demum recte percipietur, quamobrem Scripturæ veteri eum addendum curauerit.

## §. XIX.

*Scopus libri Iobi.*

Accedimus ad librum Iobi. (1) Ad scopum, quem Spiritus S. in hoc libro habuerit, cognoscendum in primis perinet locus Iac. V, 11. *Patientiam Iobi audiistis,*

*Et finem Domini vidistis: quoniam multus mi-  
 seratione est Dominus & misericors. SEBAST.  
 SCHMIDIVS in Epist. Dedicatoria, quam  
 commentario in Iobum præfixit, locum  
 istum Iacobi de professo tractat, & quid pri-  
 mum inde addiscere debeamus, his docet ver-  
 bis: Commendat his Apostolus historiam Iobi,  
 tamquam verissimam rei olim gestæ, non autem  
 tamquam comædiam sub nomine historie, &  
 rei gestæ traditam: & Iobum, ut virum fuisse,  
 qui exemplum patientiæ factus, & liberationem  
 Domini ex omnibus afflictionibus reuera exper-  
 tus fuerit. Equidem comædiam quamdam Io-  
 bum, nec, quæ in libro ipsi inscripto habentur,  
 in mundo vniquam sic gestæ esse, multi tum ve-  
 terum tum recentiorum existimarunt. Qui sa-  
 ne, quotquot id ipsum non de sermonibus tan-  
 tum Iobi & amicorum, quorum sensus post  
 exitum totius rei gestæ demum instinctu Spiritus S.  
 in eruditissimum carmen redactus, non autem sta-  
 tim inter colloquendum carmine prolatus fuerit,  
 sed de ipsis personis colloquentibus, quæ, exce-  
 pto Deo Domino, in rerum natura numquam  
 existerint, omnibusque de iis quæ vel passæ sunt,  
 vel egerunt, intellectum voluerunt, ex ipsis nostri  
 Apostoli allegatis verbis refutari satis possunt at-  
 que conuinci. Et hic quidem scopus libri  
 Iobi, quem Iacobus Apostolus l. c. designat,  
 vt legentis animo primum obiicitur, ita me-  
 rito præcipue animaduertitur. Attamen (2)  
 vt integram scripturam, ita etiam speciatim  
 librum*



librum Iobi ad Christum, tamquam scopum referre tenemur. Non tantum enim expressa satis in hoc libro est prædicatio de Christo c. XIX. & c. XXXIII. sed etiam ipse Iobus, si quisquam alius, figuram patientis Christi sustinet. Videantur ac perpendantur, quæ consulenda fuimus in Prælectionibus Hermeneuticis p. 181. \* Inde enim accuratius ea, quæ ad hunc libri scopum pertinent, intelliguntur. (3) Antiquitas libri & circumstantiæ Iobi & amicorum eius, in primis, quod ille inter gentes profanas habitauerit, docent, scopum Spiritus S. etiam hunc fuisse, ut verus Dei cultus proposito tam illustri exemplo conservaretur, & opera creationis & providentiæ, quæ præcipue in hoc libro celebrantur, hominibus illius ac posteræ ætatis innotescerent & commendarentur. Nec vero prætereundum est (4) quod, ut in singularissimo Iobi exemplo gradus summus est calamitatum externarum ac tentationum internarum, quibus ille subiectus fuit, ita hic liber præ reliquis ex mente Spiritus S. infervire debeat ad mysterium crucis docendum, adeoque ad sapientiam illam absconditam & rationi corruptæ prorsus ignotam hominibus reuelandam.

## C 5 §. XX.

\* Videlicet *Licht und Recht anders Entdeckung* p. 16. *Von dem Buch Hiob und den Reden Elibu;* quæ meditatio Auctorem habet Dn. D. I. H. MICHAELIS Th. P. quæ disquisitio deinceps anno nimi-

## §. XX.

*Scopus Libri Psalmorum.*

*Psalmorum Scopus* (1) fuit, ut haberemus librum sacrum exemplorum aut historiarum. Sic LUTHERVS in Præf. Tom. III. Witteb. fol. 398. b. seqq. *Equidem nullam puto librum exemplorum aut historiarum sub celo esse, qui Psalterio conferri possit. Proin, si votis adhuc a Deo impetrari deberet, ut omnia, que in omnibus veris sanctorum historiis essent optima & selectissima, undique excerpta & collecta, breuissime & aptissime in vnum compingerentur libellum: hoc, quod sic ex optimis, ex ipso flore rerum in tota Scriptura, a spiritualissimo aliquo & summo artifice fingi & constari posset, hoc haud dubie futurum esset tale Davidis Psalterium; aut huius Psalterii simillimum. Nam hic inuenies, non vnus tantum sancti vitam, sed quomodo caput omnium sanctorum, Christus (ille enim in Psalmis depictus est) adfectus fuerit: quomodo adhuc omnes credentes, rebus tristibus iuxta ac secundis adfecti sint: quomodo se erga Deum, erga amicos ac inimicos gesserint: Quomodo se in variis pericu-*

rum cl. MCCXVI. explanationi Libri Iobi seu scholæ tentationum PAVLI EGARDI introductio- nis loco præmissa est. EGARDI liber germanicus hac occasione non immerito a nobis commendatur. Nec minus commendari meretur dicti D. IO. HEINR. MICHAELIS Præfatio, Notis yberioribus in Iobum præfixa.

riculis & afflictionibus, in medio tentationum incendio & maximis necessitatibus habuerint.

(2) Hic fuit scopus Psalmorum, vt manifestas haberemus prophetias & egregias promissiones de perpeſſionibus, morte & resurrectione Christi, de regno Christi, de cursu Euangelii, de statu totius Ecclesiæ. (3) Scopus Psalterii fuit, vt haberemus librum precum. Ita ibidem LUTHERVS: *Si Deus ipse e celo porrigeret libellum, quem diuina voce commendaret, quam esses hunc habiturus in deliciis, quam arrepturus audire? Psalterium, ne dubita, ipse Spiritus Sanctus, tamquam filioliſ Pater, formam præscripsit precum.* (4) Scopus huius libri fuit, vt haberemus enchiridion Biblicum. *Iure, inquit iterum LUTHERVS, parua Biblia dixeris Psalterium, in quo omnia, qua in totis Bibliis explicatius tradita sunt, mira & iucundissima breuitate, in elegantissimum enchiridion coacta sunt. Et deinde: Hoc enchiridion ipse suis discipulis concinnauit, collectis exemplis & gemitibus & adfectibus, quasi multorum millium, quorum solus ipse corda videt & nouit. Si tota Biblia igitur legere non posses, en sola lectione Psalterii non modo pietatis summam, sed omnia summa & spiritualissimas experientias habes.* (5) Hic fuit Psalmorum scopus, vt sanctorum mentem & intimos adfectus nobis depingeret Spiritus Sanctus. *Quum, inquit porro LUTHERVS, in reliquis scriptis & historiis,*

*open*

opera tantum & corporalis exercitatio sanctorum describantur: admodum paucas inuenias historias, quae sic verba, voces & sermonem (qui character animi est) nobis describant in sanctis. Ibi igitur piarum mentium delictum potest esse Psalterium, ibi adeo iucunda lectio sunt Psalmi, ut ex eis non modo opera sanctorum, sed & singula verba & voces, sed & gemitus & colloquia, quibus coram Deo in tentationibus iuxta ac consolationibus vsi sint, cognoscas sic, ut quamuis mortui sint, tibi tamen in Psalmis adhuc viuunt & loquantur. Alia igitur historiola & exempla sanctorum, quae opera describunt, si Psalterio conferantur, mutos nobis sanctos proponunt, & omnia ibi muta sunt. In Psalmis vero quia voces sunt in fide orantium, omnia viuunt, omnia spirant, & viuos nobis, alacres ac fidei adfectu, in medijs etiam afflictionibus erectos exhibent sanctos. Mutum hominem, potius mortuum truncum quam hominem dicas. Et nulla re homo a reliquis pecudibus atque sermonis vsu discernitur. Figuram hominis, si artificis accedat industria, vel saxum accipit. Et reliqua a loyæ sic edunt, bibunt, sic etiam sensuum vtuntur organis atque nos, ad tolerandos autem labores sunt etiam corpore validiori. Sermo solus hominem discernit a belua. Is autem mentis est character & speculum. Quum igitur sermonem, verba & voces sanctorum describant Psalmi: ipsorum mentem nobis depingunt. Non enim familiares illas & vulgatas voces sanctorum describunt

bunt Psalmi, sed patheticas illas & ardentissimas, ubi magno serio in ipso paroxysmo tentationum, quasi in quadam acerrima lucta Jacob cor suum, non coram amiculo, non coram homine, sed coram DEo suo effuderunt. Psalmi igitur non modo opera & voces sanctorum, sed ipsum abditissimum cordis ipsorum thesaurum, intimos animi motus & adfectus cordis exprimunt. Vultus & os Davidis, quo varias illas erumnas & pericula, quibus DEus cum exercuit, pertulerit, videre velles? Lege Psalmos, qui tibi non tantum externum, sed & interiorum illum Davidem expressus reddunt, quam ipse sese coram vllis verbis describere potuisset. Quid igitur præ Psalmis sunt reliquæ historie, quæ opuscula tantum, & nescio quæ miracula sanctorum decantant? Nondum cor & adfectus video, etiamsi opera & miracula videam. Quemadmodum autem longe malletm audire Davidem, aut similem sanctum loquentem, quam videre illius corporalia exercitia: ita adhuc omnium maxime optarim, intimas cogitationes Davidis & intimum illud certamen fidei cognoscere. Hoc autem præstant Psalmi opulenter, ut ex eis cognoscere possimus, quomodo sancti in tentationibus animati fuerint, quo ardore verborum animi sui adfectus expresserint. Cor enim humanum non aliter habet atque navicula in medio mari, quæ ex omni parte periculis & ventorum exposita sit ludibrio. Hinc enim animos nostros sollicitudo & metus futuri mali

*mali, veluti subita tempestas exarmat; Illinc  
 pusillanimitas & cordis mœsitia, veluti altis  
 fluctibus nos opprimit. Mox fiducia rerum se-  
 cundarum, plenis carbassis in celum nos tollit.  
 Rursus securitas bonorum presentium, præter  
 spem nauiculam scopulo illidit. Tot igitur hu-  
 ius vite discrimina, eiusmodi mille pericula, fa-  
 cile nos acuunt & excitant, facile docent ex in-  
 timis suspirare visceribus, totum cor effundere,  
 & toto mentis ardore clamare ad celum. Lon-  
 ge ardentiores querele sunt eorum, qui vere do-  
 lent, quam qui animi angustiam simulant tan-  
 tum. Longe alacrior, excitatior, feruentior,  
 & vultu & verbis, & toto oris gestu est is, qui  
 ex corde gaudet, quam qui simulate tantum  
 frontem exporrigit. Hinc germanice dicitur:  
 Ex gehi nicht von Herzen, quando tristes ri-  
 dent, aut leti lacrymas vi exprimunt. Psal-  
 morum voces ex veris & vinis prorumpunt adse-  
 ctibus. Bona autem pars Psalmorum eiusmodi  
 parhetica sunt & ardentissimorum adfectuum ver-  
 ba, omnis generis tentationum & adflictionum.  
 Nusquam inuenies felicius aut significantius ex-  
 pressum gaudentis & exultantis animi adfectum,  
 quam in Psalmis gratiarum actionis seu Psalmis  
 laudum. Ibi enim in sanctorum corda haud  
 aliter atque in paradysum aut in apertum celum  
 licet respicere, quanta ibi varietate subinde exo-  
 riantur amœni illi flosculi, & micantissime stel-  
 lule, dulcissimorum erga Deum & illius benefi-  
 cia adfectuum. E contra nusquam inuenies si-  
 gnifican-*

gnificantiorebus verbis descriptam mentis angusti-  
 am, animi dolorem & mœstitiã, quam in  
 Psalmis tentationum seu querelarum, vt Psal-  
 mo VI, & similibus. Ibi ipsam mortem, ipsum  
 infernum vides suis depictum coloribus, ibi om-  
 nia vides atra, omnia tristia, conspectu ira di-  
 vine & desperationis. Sic etiam, vbi de spe, de  
 timore, loquuntur Psalmi, sic suis natiuis voci-  
 bus hos adfectus describunt, vt nullus DEMO-  
 STHENES, nullus CICERO hoc expressurus fue-  
 rit viuidius aut felicius. Nam, vt dixi, hoc  
 præ ceteris scriptis proprium habent Psalmi, vt  
 sancti eos non in ventum loquuti sint, non ad  
 amiculum, sed coram Deo suo, & vt coram  
 oculo Dei. Hoc enim imprimis adfectus acuit &  
 accendit, hoc omnia ossa, omnes medullas ve-  
 luti excitat, cum creatura serio coram Deo suo  
 loquitur. Quando alias amiculo aut homini  
 querimur nostras necessitates, non sic ardent,  
 non sic viuunt, non sic astuant omnia adfectuum  
 impetu. Psalterium igitur, quia adfectus conti-  
 net, libellus est omnibus christianis sic accommo-  
 dabilis, vt quilibet vere pius, in quacunque sit  
 tentatione, in Psalmis verba & adfectus inueni-  
 at, quæ ad suas adflictiones non aliter qua-  
 drent, quam si hodie de tuis propriis adflictioni-  
 bus hæc carmina scripta & condita essent. Hoc  
 ipsum autem potest magne esse tibi consolationi,  
 quando Psalmi tibi valde placent. Exstat vox  
 QVINTILIANI: is sciat se profecisse, cui CI-  
 CERO valde placet, Hoc forsitan non inepte huc  
 torse-

torsero: Is sciat se profecisse in factis, quem Davidica carmina valde consolantur. Quando enim similiter adficeris, quando nervi & fides Psalterii simili adfectu & motu animi tui pulsa retinnunt, certificaris, te esse in congregatione electorum Dei: quum eundem in modum adfigaris, quo ipsi adflicti sunt: quum simili fide & adfectu ores, quo ipsi orarunt. Incredulo & frigido lectori insipidi sunt Psalmi. (6) Hic Psalterii scopus fuit, vt haberemus eam partem in vita sanctorum ob oculos positam, quam omnium tutissime imitaremur. Alia, inquit porro LUTHERVS, exempla & historiae, quibus non voces & verba, sed opera tantum sanctorum descripta sunt, multa habent, quae non possumus imitari in sanctis, vt prodigia & virtutes. Pleraque etiam opera eiusmodi sunt, vt circa periculum graue non possis imitari, vt quae sectas & hereses excitant, & ab unitate spiritus auocant; vt in monachatu vidimus. Psalmi autem a sectis auocant ad unitatem spiritus, docentque rebus secundis retinere timorem, aauerfis vero spem non abiicere, verum τὸ αὐτῷ Ὁμοῦν, idem sapere, & similiter adfectum esse cum omnibus sanctis. (7) In summa, dicente LUTHERO, si cernere cupis christianam ecclesiam, veluti in elegantissima tabula depictam viuus & spirantibus coloribus: tum Psalterium accipe in manum. Hoc enim tibi purissimi speculi vice fuerit, quod tibi representet veram Ecclesiam, immo si pius sis, etiam tui ipsius imaginem,



nem, ut iuxta illud sapientis  $\gamma\omega\delta\iota$   $\sigma\epsilon\epsilon\upsilon\tau\omicron\nu$ , vere te ipsum noscas, immo DEum & creaturas omnes.

10. BRENTIVS in Præf. Comm. in Psalmos: Non potest adolescentibus, ministerio ecclesie destinatis, quidquam vilius imdi, quam ut habeant Psalmos non solum commendatissimos, sed etiam maxime omnium familiares. Linguam, fateor, discent e lectione & usu aliorum scriptorum formare, iuxta humanæ carnis sapientiam, elegantius: que pars studii, ne ipsa quidem in suo gradu, præsertim iis, a quibus exigitur, ut fiant  $\delta\iota\delta\alpha\kappa\tau\iota\chi\omicron\iota$ , negligenda est: Sed ut lingua hominum ad docendos homines vtiliter loquaris, linguam prius Spiritus Sancti cognoscas, necesse est, qua & Deus tecum e celo, & tu vicissim cum Deo e terra, immo ex ipso inferni hiatus, colloqui possis. Hoc tibi liber Psalmorum insigniter præstabit. Continentur enim in eo parim conciones, quas Dominus Deus noster e caelesti diuinæ Maiestatis suæ throno ad humanum genus, de sua voluntate habet, & nunc, quid a nobis exigit, nunc, quid nobis in unigenito filio suo præstare velit, dilucide exponit: parim preces & obsecrationes, quibus nos vicissim exponimus Deo omnes nostros adfectus & pericula, in quibus versamur, & ope eius indigemus: ut liber Psalmorum nihil aliud sit, quam mutuam colloquium, quod Spiritus Sanctus inter Deum & homines instituit. Etsi autem adolescentia, nec ætate, nec rerum usu eo

Franck. Scopus V. T.

D

pro-

progressa est, ut in animo suo adficiatur maxi-  
 mis illis & atrocissimis tempestatibus, quae ex a-  
 gnitione peccati, e sensu irae diuinae, ac ex obie-  
 ctu mortis & dolorum inferni oriri solent, &  
 quarum caelestia omnis generis remedia in Psal-  
 mis, tamquam in pharmacopolio proponuntur:  
 tamen quia illi, qui quasi publica ecclesiae electio-  
 ne in his scholis erudiuntur, eo destinati sunt,  
 ut veram pietatem tam ipsi discant, quam ec-  
 clesiam suo tempore doceant, necessarium est, ut  
 parent sibi hac tenera sua aetate promtuarium,  
 quale est Psalmodum liber, e quo, quum res po-  
 stulat, quae ad sedandas cum suis priuatas tum  
 publicas ecclesiae tempestates conducunt, proferre  
 queant. Ac ante quidem, quam publicus esset  
 Psalmodum usus, videbatur doctrina pietatis in  
 sacrificiis tantum, & in pauculis Leuitarum ser-  
 monibus, ac in tabernaculo contineri, & quasi  
 condita ac sepulta iacere. Postquam autem ea  
 doctrina collata est, singulari Spiritus S. consilio  
 (NB. sic notanter BRENTIVS scopum Spiritus  
 Sancti exponit) in Psalmos, h. e. in formulas  
 publicarum & priuatarum canionum educa-  
 ta est tam e sacrificiis, quam e tabernaculo, &  
 introducta ad usum hominum, in ciuitates, in  
 fora, in vicos, in domos, in officinas, in cubi-  
 cula, in agros, in eremos, immo & in carce-  
 res, & in penetralia quaeque. Hoc enim illud  
 est, quod Paulus ad Ephesios scribens: Implea-  
 mini, inquit, Spiritu. Sed quomodo? aut  
 quo organo? Loquentes, inquit, vobismet ipsis,  
 per

per Psalmos, & hymnos & cantiones spirituales: canentes & psallentes in corde vestro Domino, gratias agentes semper de omnibus, in nomine Domini nostri Iesu Christi. Nullum potest encomium de Psalmorum seu recitatione, seu meditatione illustrius dici, quam quod sint organa, quibus impleamur caelesti spiritu, non quia recitentur, aut cogitentur, sed quia recte intelligantur. Hæc ille.

Singulare hoc consilium Dei in canticis & psalmis ecclesie subministrandis profequitur DN. IO. ANASTASIUS FREYLINGHVSIVS in Præfatione libri Cationum germanicarum, cuius verba latine reddita sic habent: *Et sacrarum litterarum Veteris ac Novi Testamenti & historiae ecclesiasticae monumenta una, cum experientia testantur, singularis gratia, quam populo suo Deus concessit, aut aliquando se concessurum promisit, semper fuisse indicium, ubi os infantium ac lactentium, spiritualiter quidem talium, psalmis ac hymnis & cationibus spiritualibus ac suauibus redundauit. Cum DOMINVS filios Israelis, ex promisso patribus dato populum fœderis & regnum sacerdotale præ omnibus gentibus elegisset, illudque publice declaraturus ex Aegypto eos eductos, mari ante eorum pedes scisso, veluti gregem ouium transuexisset, Pharaone eiusque opibus vniuersis inundatione deletis, illico sapientia os mutorum aperuit, & linguas infantium ita disertas reddidit, ut cantarent sanctum ipsius nomen, & animo vno lau-*

D 2 darent

darent manum eius ipsos propugnantem. Sap. X, 21, 22. Moses videlicet & omnes filii Israelis chororum, & Miriam prophetissa omnesque feminae cum tympanis ac fistulis iidem chororum fecerunt, & cantico magnum illud facinus, quo deus Dominus Veteris Testamenti tempore plerumque nomen ac titulum gerebat, celebrarunt. Idem ille Moses paullo ante obitum populo Israelitico cum exsuperantem gratiam diuinitus eis imperitam, tum sanctam & admirandam Dei in futurum ecclesiae suae gubernatione & economiam, semel adhuc ab oculis propositurus testimoniumque de venturo Messia simul relicturus ab ipso Deo Iehoua ad hoc negotium singulari quadam, & solenni ratione eiusmodi accepit canticum, in quo cantando calum & terra ad auscultandum excitabantur, Deut. XXXII, 2. quodque ipse Iehoua Mosi ac Iosue verbis significantissimis iniungebat, ut filiis Israelis notum redderent & diligentissime inculcarent. Itaque scribit, inquit, vobis canticum istud, quod doceatis filios Israelis indendo illud ori ipsorum: ut sit mihi hoc ipsum canticum loco testis contra filios Israelis, c. XXXI, 19. Similiter cum Spiritus Dei Deborah matrem in Israele, & Barakum excitasset, ut Israellem ex Iabinis, Cananeorum regis manu, post diuturnam oppressionem, mirabili victoria, de Sissere ducis illius exercitu concessa, liberarent; statim ipsos quoque excitauit ad canendum Iehouae & psallendum Iehouae Deo Israelis, Iudic. V. Et cum alio tempore Samue-

lis,

lis, iudicis ac prophetae, opera ecclesiae suae, in qua tum nunc erat verbum Domini nec visio aperta, (1 Sam. III, 1.) esset opitulaturus, Hanna mater eius filium hunc suum Sobilante sistens hoc ipsum, praconis instar, cantico publicare debebat. 1 Sam. II, 2. sqq. Davide ac Salomone regnantibus ecclesia iudaica, cum aliis temporibus comparata, in statu fuit florentissimo. Anne vero David vir fuit amœnus psalmis Israelitarum? 2 Sam. XXIII, 1. quippe qui integrum canticorum seu psalmorum volumen ecclesiae Dei reliquit, quod propter suam dignitatem & praestantiam tamquam pars praecipua tertia scripturum Veteris testamenti ab ipso Christo allegatur. Luc. XXIV, 44. Nimirum in omni opere suo tribuit celebrationem sancto Altissimo verbis gloriosis. Ex toto corde suo decantavit & amavit opificem suum: instituitque cantores ante altare, ut voce suaves canerentur moduli ipsius, & in dies laudarent Deum odibus suis. Tradidit ad dies festos res decoras & tempestates ornauit absolutissime, laudantibus illis sanctum nomen eius, & inde a matutino personante sanctuario eius, quemadmodum Siracides scite ac eleganter de eo scribit c. XLVII, 9. 10. 11. 12. Anne etiam Salomo, filius eius, Canticum Cantorum (seu Canticum sublime, ut Germanis illud vocatur) composuit, in eoque mysterium, quod Christum inter & ecclesiam eius est, mirifica & suavissima ratione eloquutus est? Nihil prophetis vulgatus est, quam quod, ubi spiritum prophetiae

Et futuram gratiam promittunt, ludendi ac psal-  
 lendi, tamquam rei, cum gratia ante nuntiate  
 impletione coniuncte, mentionem simul faciant.  
 Iesaias c. VI. augustam visionem, qua gloria  
 Christi, ultimis temporibus manifestanda, ei o-  
 stendebatur, describens, cantici simul Seraphici  
 meminit, quo quae viderat, verbis etiam, haud  
 dubie cum gloriosa suavissime quantum harmo-  
 nia prolatis, ita pronuntiabantur atque explica-  
 bantur: Sanctus, Sanctus, Sanctus est Iehoua  
 exercituum; implet totam terram gloria eius.  
 coll. v. 3. cum Io. XII, 40. Et Apoc. IV, 8. Idem  
 hic vates cap. XXV. magnis ac praclaris re-  
 bus ecclesiae Dei promissis subsequenti cap.  
 XXVI. protinus addit: Tempore illo (quando  
 ante memorata implebuntur) cantabitur canti-  
 cum hoc in regione Iudae: ciuitas fortis est nobis,  
 salutem disponit muris Et praemunitiōni. Ape-  
 rite portas Et ingrediatur gens iusta conseruans  
 omnem fidem, cetera. Et Ieremias cap. XXXI,  
 4. in nomine Domini ita locutus: Adhuc adi-  
 ficaturus sum te, vt adificeris, itidem subiun-  
 git: Virgo Israelis, adhuc ornabis te tympanis  
 tuis Et procedes cum choro ludentium; quo ad  
 ipsum, quod de Miriam ex Exod. XV. supra  
 adduximus, tamquam typum eorum, quae heic  
 dicuntur, forte respicitur; vt alia prophetarum  
 testimonia, imprimis illud HALLELVIAH, quod  
 de gentilibus toties totiesque vaticinatus est in  
 Psalmis suis Dauid, verbis pluribus heic perse-  
 qui praetermittamus. Immo cum scriptura sa-

era ecclesie triumphantis in celo & noua illius Hierusalem statum proponit, itidem canticorum & hymnorum facit mentionem, quibus abundantissima gratie ac amoris diuini opes ab consummatissimis eius membris decantantur. Ita Ioannes Euangelista credentes, qui victoriam reportauerant, post eorum consummationem vidit stantes apud mare vitream & habentes citharas Dei, qui etiam cantabant canticum Moysi serui Dei & canticum Agni Apoc. XV, 2. 3. & secundum caput antecedens XIV, audivit vocem citharadorum pulsantium citharas suas. Et qui canebant quasi canticum nouum ante thronum & in conspectu quatuor illorum animalium & illorum seniorum: neque quisquam poterat discere illud nisi virgines Agni, quae emtae sunt ex hominibus primitiae Deo & Agno sacrae. Ut autem in militante ecclesia in terris adhuc aliquantum subsistentes ad Noui Testamenti tempus deueniamus, nouimus, quod ab ipso Dei Spiritu  $\alpha\alpha\iota\gamma\omicron\varsigma$   $\delta\epsilon\upsilon\tau\omicron\varsigma$   $\chi$ ,  $\eta\mu\acute{\epsilon}\gamma\epsilon\alpha$   $\sigma\omega\tau\eta\gamma\iota\epsilon\iota\varsigma$  appelletur, 2 Cor. VI, 2. quippe quo exorto Vita, quae in principio fuit apud Patrem, in carne adparuit, & morte sua, resurrectione ac adscensione in caelum omnem iniustitiam impleuit, atque hac ratione amissam gratiam ac veritatem restituit. Quemadmodum iam in Veteri Testamento hoc de re dictum fuit: Gratiam Iehouae in seculum canam, in quamque generationem notam faciam veritatem tuam ore meo. Ps. LXXXIX. & iterum Ps. CI, 2. Benignitatem & ius canam;

Ita tempore adimpleto gratia & veritas vaiciniis prædicta, ut iam præfens, psalmis ac hymnis, tamquam publico præconio, publicari debebat, quemadmodum Zacharias, sacerdos ille senex, & Maria virgo illud demonstrant. Quid? linguis non hominum tantum sed angelorum etiam ea cantata fuit, quippe qui vna cum hominibus sub CHRISTO, tamquam vno capite, sunt, adeoque gratiam ac veritatem per Christum reparatam certo modo cum illis participare debebant: Gloria, canebant illi, in altissimis Deo & in terra pax, hominibus benevolentia, Luc, II, 14. Neque vero ecclesiæ apostolicæ, in quibus viuentium aquarum flumina ex Christo largissime omnium exundarunt, psalmis ac hymnis carere, quibus gratiam ac dona diuinitus accepta ad communem ædificationem sibi inuicem sunt testificati. Nota sunt in hanc rem dicta Apostolorum 1 Cor. XIV, 15. Psallam spiritu & psallam etiam intelligentia v. 26. Quid igitur est, fratres? quoties conuenitis, quisque vestrum canticum habet, doctrinam habet, cætera. Iac. V, 13. Ager est animo aliquis inter vos? oret: bono animo est aliquis? psallat: & Ephes. V, 18. 19. Implemini spiritu: loquentes inter vos mutuo psalmis, & hymnis & cantionibus spiritualibus, canentes ac psallentes in corde vestro Domino: & Coloss. III, 16. Verbum Christi inhabitet in vobis copiose cum omni sapientia, docendo & admonendo vos mutuo psalmis & hymnis & cantionibus spiritualibus cum gratia canendo



nendo in corde vestro Domino. Quibus in locis fundamentum simul indicatum est, quomodo ita canere possimus, ut iucundus & dulcis sonus sit in auribus Domini, Dei exercituum: quod fundamentum non in canora externa vocis modulatione, sed in cordis, diuini spiritus vnditionem adepti, harmonia & consonantia cum verbis ac voce oris situm est. Pater enim caelestis non tales quarit cantores, qui quidem sicut David excogitant sibi instrumenta musica vel etiam cantica & psalmos, & nihilominus sub seruitute carnis & vanitatis huius peruersi mundi manent, (Am. VI, 5.) sed tales, qui canunt spiritu & veritate; qualiter etiam adorantes quarit Io. IV, 24. Quemadmodum igitur omnia, quae adduximus exempla, firmissimo sacrae scripturae testimonio innituntur: ita ex historia ecclesiastica demonstrari potest, proxime subsequens seculis, in quibus ecclesia facies adhuc optima fuit, pias cantiones ac psalmos in crebro usu fuisse; qua in re lectorem christianum ad GOTTFRIDI ARNOLDI Representationem primorum Christianorum in fide & vita, breuitatis causa remitto, quippe cuius in Lib. II. c. 2. de cantionibus & hymnis primorum Christianorum fusius agitur. Quanto magis autem temporibus sequentibus res Christiana sub Antichristo priscam suam imaginem ac indolem amisit, in ipsam profanam commutata gentilitatem; tanto maior etiam nobilissimi huius doni spiritus penuria obseruari cepit; sicut omnes fere reliquae spirituales diuitiae

*bis diebus collapsæ & perditæ fuerunt. Pauci enim veritatis testes similes erant passeri solitario in tecto: ad flumen spiritualis Babylonie sedentes ad salices suspendebant citharas suas, nec iis licebat nec libebat cantare canticum Iehouæ in solo alienigenarum. Pf. CXXXVII, 2, 4. Etiam si vero vnus & alter in captiuitate ista suum hymnum caneret, ad publicam tamen utilitatem nihil inde redibat, sed hymni latini in Monachorum conuentu decantati cultum irrationalera in istis tenebris adhuc magis irrationalem reddebant. Quando autem post longam hiemem, nouo quasi vere in ecclesia Christi exorto flores Dei numerosiores prodibant, vox turturis rursus audiebatur, & luscinia vocem suauissime attollebant: siquidem primum tempore Fratrum, ita dictorum Bohemorum (de quorum laudabili ordine & disciplina ecclesiastica, notissimi IO. AMOSI COMENII liber eximius DE BONO VNITATIS anno dō MCCII. Halis nostris sub titulo: HISTORIA FRATRVM BOHEMORVM, recusus testatur) multæ egregiæ ac edificationis plenæ cantiones compositæ & in peculiare non adeo parua molis volumen congestæ sunt, ex quibus etiam non nullæ in cantionum libris, qui in nostra ecclesia obtineant, insertæ reperiuntur; deinde autem tempore Reformationis in B. LVTHERO aliisque piis viris eius ætatis & postea donum illud efficacissimis cantionibus ecclesiam Dei adificandi adeo sese exseruit, vt Ecclesiam Euangelicam præ aliis cætibz hac in parte lar-*

largissime diuinitus donatam, ad tanto maiorem autem gratiarum actionem & rationem de earum usu reddendam Deo hoc nomine obstrictam esse intelligamus. Quia de re nihil amplius heic addo, quod varia occasione ab aliis hoc iam monitum & euictum esse scio. Quemadmodum autem adlata exempla omnia eorum, que diximus supra, veritatem demonstrant, ita ad maiorem eorundem confirmationem experientia nostrorum temporum, in qua diuina nos prouidentia duxit, facere potest. Postquam enim Deus per aliquot inde annos penitentiæ ac euangelii concionem in nostra presertim Germania denuo quam efficacissime promulgari eamque non mediocriter fructuosam esse iussit, (id quod non agnoscere nec velle agnoscere, periculosissima cecitatis indicium est) multorum, etiam liberorum suorum cordi ac ori indidit cantica noua, quibus ipsum laudent & tum presentem tum futuram gratiam predicent: quomodo recentiores cantionum libri, speciatim, qui Erfordie, Hale, Darmstadii ac Berolini predicunt, satis noti sunt, & adhuc multo cum fructu ac edificatione tam heic quam alibi locorum adhibiti fuere. Equum proinde est, ut quemadmodum in omni bono ita etiam in huius diuini doni consideratione & usu non subsistamus in tenuibus ac coram mundo abiectis instrumentis, sed ad Deum, Patrem luminum ipsum spectemus, quippe a quo omnis donatio bona & omne integrum donum superne proficitur, & qui per

vnu

unum illum spiritum varia dona ad emendationem & adificationem corporis Iesu Christi supeditat, & ut eius sapientiam, caritatem & fidelem providentiam, quam hoc etiam modo in ecclesiam declarat, animo submisso agnoscamus ac celebremus, et simul illud cum ad doctrinam & institutionem tum maxime ad quotidianam excitationem ac incrementum in fide, caritate ac spe, nec non ad consolationem in omnibus certaminibus & afflictione, quae in hac brevi peregrinatione nobis obveniunt, animo simplice convertamus & adhibeamus. Haftenus ille.

10. BVGENHAGIVS in dedicatione sui in Psalmos commentarii: Nihil, inquit, in lege, nihil in Prophetis, nihil in Christi & Apostolorum praedicatione est, quod non apertis verbis atque rotundis decantet hic regius Propheta, egregius Psalter in Israel. Iudicium & Dei misericordiam suae iustitiam, & humanarum virium iniustitiam, atque adeo vanitatem, non alibi copiosius legeris: ita ut hic vel solus liber ad recte instituendum in iustitia Dei hominem sat fuisset, nisi divina bonitas nostrae fragilitati & ignorantiae pluribus scripturis consultum voluisset, ut interim non dicam, quod per Psalmos longe iucundius fuerit, suscipere quicquid sacrum est. Quis enim ignorat carminibus plus affici nostras mentes, quam simplici oratione, ut maxime eadem dicantur. Hic canuntur omnia Dei opera a conditione mundi & gubernatione siue providentia usque ad generis humani redemptionem

per

per Christum, ut videas Deum ut omnipotentem, ita & omnia facientem, & vanam esse salutem, quæ sit ab homine, & Deo non esse beneplacitum in fortitudine equi, aut in tibus viri, id est viribus carnis. Hinc & Christum ipsum (qui ex carne Davidis natus est, ut confirmaret regnum eius in æternum in iudicio & iustitia, quemadmodum canit Esaias) in Dauide suscipis. Spiritus enim Christi in Dauide subinde canit sua de se mysteria, incarnationem, prædicationem, cruem, mortem, gloriam, benedictionem omnium gentium, quæ sunt nostre mysteria salutis, simul & exempla nostre per cruem, quam Deus nobis imponit, glorificationis. Sic enim David dicit 2 Reg. XXIII. Dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Jacob, egregius Psalter Israel, Spiritus Domini loquutus est per me, & sermo eius per linguam meam. Et Christus dicit Luca ultimo: Necessè est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me. . . . . Atque hæc declarat scriptura N. Testamenti, quæ subinde citans ex Psalmis, indicat Christum siue Christi Spiritum in Psalmis loqui, qui in scripturis non solum Filius David, sed & David rex adpellatur, ut vides Ps. LXXXVIII. Hof. III. Ezech. IV. Quam vero Christi verba etiam nostra sint, suis locis indicabimus. Ipse enim ait: Si me persecuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. &c. Videatur IO. GERHARDVS in præfat. in com-

commentarium ARNDII in Psalmos; & ipse ARNDIVS in præfatione sua, item eiusdem prima concio in Psalmos. Modo laudatus ARNDIVS præ reliquis accurate profequitur locis citatis ea, quæ ad interiorem scopum Psalmorum pertinent, vt, qui Hermeneuticam sacram, vt sacram, animoque sancto & pio, velint tractare, multum inde adminiculi sibi promittere possint, si probe ponderent ea, quæ ad hoc institutum ab ipso adferuntur. Laboravit enim, vt demonstraret, id, quod cor est in homine, esse Psalterium in Bibliis, sic enim ait in Præfatione: *Was das Hertz im Menschen ist, das ist der Psalter in der Bibel; dann in keinem Buch der Schrift das Hertz der Glaubigen mit allen innerlichen geistlichen affecten und Bewegungen in Liebe und Leid, in guten und bösen Tagen also abgemahlet und beschrieben ist, als im Psalter. h. e. Quod cor in homine, id Psalterium in Bibliis est, in nullo enim S. Scripturæ libro cor hominum credentium cum omnibus internis ac spiritualibus affectibus & motibus in lætitia & tristitia, rebus secundis ac aduersis, ita depictum est & descriptum, quemadmodum quidem in Psalterio.* Id quod repetit, ac pluribus demonstrat in prima concione. Inter recentissimos Auctores, qui de scopo Psalterii vtiliter quædam monuerunt, sunt Galli, Messieurs da Port Royal, qui inter reliquos libros V. Testamenti tribus voluminibus in octauo etiam Psalterii

um

um notis illustrarunt, & in Præfatione operam dederunt, ut scopum Spiritus S. declararent, docerentque, quo pacto media via incedendum sit, ut nec sensum litteralem negligamus, nec sensum mysticum, quoad is vere ex mente Spiritus S. proficiscitur, obiter tractemus. Est etiam inter recentissimos PETRVS ALLIX Gallus, ex Gallia in Angliam delatus, qui non modo Psalterium lingua Anglicana edidit, sed in Præfatione etiam conatus est viam ostendere, quomodo ex accurata cognitione scopi Spiritus S. vera & menti Spiritus S. conformis huius libri interpretatio quærenda sit: quam ad rem etiam lectori viam aperire voluit appposito singulis Psalmis argumento. In quibus tamen non nego plurima esse, quæ examinanda sint accuratius, non protinus arripienda.\* IO. COCEIVS, & qui vestigia eius sequuntur, in Psalterio, in primis quod ad vaticinia de Christo attinet, plurima ad scopum Spiritus Sancti plenius cognoscendum contribuerunt, SALOMONIS TILLII, Prof. Theol. Leidenfis, expositiones Psalmorum belgica lingua scriptæ, & in germanicam, saltem ex parte, translata, hic commendationem præ reliquis meren.

\* Editæ sunt hæ ipsæ Meditationes vna cum præfatione auctoris anno clc lxxx xiv. lingua germanica & nouam præfationem germanicam de auctoris scriptis & de necessitate ac vsu studii prophetici præmisit Editor quidem anonymus.

merentur, exceptis tamen excipiendis; quum nonnullæ expositiones eius non firmis probationibus, sed ingenii coniecturis nitantur, vt nobis quidem videtur, quod non dissimulandum credidimus.

Cæterum ea est scopi huius libri dignitas, profunditas & amplitudo, vt vel eam ob causam temperare sibi quisque teneatur a temerario de Auctoribus, qui in eum commentati sunt, iudicio. Quo pertinet utilis-  
sima illa LUTHERI admonitio, quam etiam GEIERVS in Præf. Comm. in Psalmos producit, ex Præf. eius in Psalmos tom. 2. len. Lat. ab initio & tom. 3. Wittenb. lat. fol. 119.

*Omnia, quæ B. AVGVSTINVS, HIERONYMVS, ATHANASIVS, HILARIVS, CASSIODORVS & alii super Psalterium contulerunt, verissima sunt, sed a sensu literæ quandoque remotissima. Et mea quoque secunda hæc professio (addit GEIERVS iam semel enim publice prælegerat Psalmos:) a prima longe lateque diuersa est, nec est liber in Bibliis, qui me diligentius exercitarit, donec in eam sententiam venerim: oportere nullius interpretationem, modo pia sit, reiicere, nisi rationis lege rursus quis optet reuici. Desicit ille in aliquibus; tu in pluribus; nonnulla video, non visa AVGVSTINO; rursus multa visuros scio, quæ ipse non video. Quid ergo reliquum est, nisi vt mutuum iuue-  
mus, labentibus, tamquam & ipsi vel lapsi, vel lapsuri, ignoscamus.*

§. XXI.



## §. XXI.

*Scopus libri Prouerbiorum.*

Scopum libri Prouerbiorum Salomonis, exemplo rariori, ipse titulus insinuat, quando statim in principio dicitur: *Parabola Salomonis ad sciendum sapientiam & disciplinam, & , ut detur paruulis astutia, adolefcenti scientia & intellectus.* \* Specialius autem ut scopum huius libri declaremus, dicimus (1) Spiritum S. hoc libro ecclesie tradidisse doctrinam moralem, omni philosophia morali, ingenio formata humano, longe superiorem & excellentiorem. Eiusmodi libro peculiari inter reliquos sacri canonis libros opus esse censuit Numen sapientissimum, ne confugere quisquam necesse haberet ad placita sapientum huius mundi, qui inprimis in dirigendis hominum moribus sibi omnes sapere videntur. (2) Spiritum S. sub parabolis voluisse proponere sapientiam DEI absconditam, hoc est doctrinam de Christo, qui factus est nobis a DEO sapientia. \*\* Plura videri poterunt in Progr. Pentecost. Anno cl. l. cc. iv. quod continet explicationem breuem priorum capitum Prouerb. Sal. VII. VIII. IX. quodque inter impressa est VII. m. \*\*\*

*Franck. Scopus V. T.* E §. XXII.

\* Vid. Prælect. Hermen. p. 37. \*\* 1 Cor. I, 30.

\*\*\* Vid. etiam DN. CHRISTIANI BENEDICTI M. CHAELIS P. P. præfatio adnotationibus vberioribus in Prouerbia præmissa §. XLIX.

## §. XXII.

*Scopus Ecclesiastæ Salomonis.*

**Scopum Ecclesiastæ Salomonis**

(1) ex primis eius verbis cognoscimus c. 1. 1. 2. *Verba ecclesiastæ, filii Dautidis, regis Hierosoly-  
me. Vanitas vanissima, inquit ecclesiastes, va-  
nitas vanissima, ista omnia sunt vanitas. To-  
tum enim, ait AVGVSTINVS, istum librum,  
intimandæ huius vitæ vanitati vir sapientissimus  
deputavit, non ob aliud, nisi ut eam vitam de-  
sideremus, quæ vanitatem non habet sub hoc so-  
le, sed veritatem sub illo, qui fecit hunc solem.*  
Luculentius scopum ostendit SEB. SCHMI-  
DII Paraphrasis, qua v. 2dum illustravit:  
*Dixit Ecclesiastes, mundum hunc, & quæcun-  
que in eo sunt, animo complectens & conside-  
rans, hominem in primis, inter ea aliqui præ-  
stantissimum; o vanitas vanitatum! o vanitas  
vanitatum! Nam omnia, quæ sunt in mundo,  
& ipse homo, nihil aliud sunt quam ipsissima  
vanitas; eaque vanissima. Nihil solide felici-  
tatis est in vlla re, aut vllius rei; in primis non  
est vere felix aut beatus in hoc mundo vllus ho-  
mo, nisi qui Deum timet, & præcepta eius ser-  
vat, in vera promissi Messie fide, sub certa spe,  
futura plenæ beatitudinis, atque interim in hoc  
mundo bono, cum Deo, est animo, pieque vitæ  
fruiturque iis, quæ Deus ipsi adiicit, huius sa-  
culi bonis, ita ut iis, quæ habet bona conscien-  
tia, contentus sit. Ceterum hic ipse modo  
lauda-*

laudatus SEB. SCHMIDIVS, cui post MARTINI GEIERI & IO. MERCERI egregiam interpretationi huius libri impensam operam debemus progressus, qui in sensu eius declarando nostra ætate facti sunt, in præfatione commentarii sui eximia MERCERI & LV-  
THERI verba produxit, quibus multiplicem huius libri abusum, ex obscuro eius, qui quidem visus est, sensu natum, indicarunt: quo auditores remittimus. Hinc vero constabit, quantæ sic necessitatis genuinum huius libri scopum cognoscere. Eo enim intellecto, facile omnes illi abusus per se corruunt. Notandum autem est (2) in ipsius libri huius fine verba eius prima, quæ adduximus, sic declarari, vt verum auctoris scopum nemo liquidius nobis possit exponere, quam ipse iam id præstitit. Quum enim c. XII, 10. repetiisset verba illa sua, quibus librum inchoauerat, mox addit: *Quamobrem potius (quum fuerit ecclesiastes sapiens: præterea docuerit scientiam populum, & attendens, scrutatusque concinnauerit sententias multas. Quæsiuerit ecclesiastes adsequi verba delectabilia: & singula scripta recte, verba fidelia. Verba sapientum similia aculeis, & similia clavis infixis, lectissima, tradita a pastore eodem) Potius, inquam, ex istis, fili mi, admonitus esto: faciendi libros multos nullus est finis, & lectio multorum fatigationi est carni.* Summa rei est

*bis omnibus auditis: Deum ipsum reuerere, & præcepta eius obserua, quia hoc est totum hominis. Nam omne opus Deus ipse adducet in iudicium cum omni re occulta, siue bonum, siue malum. Recte MERCERVS ad vltimos versus. Conclusio est totius libri, quid ex toto eo sit colligendum, & quo omnia spectarint, simulque quo spectent omnia sapientum verba. Quomodo (3) ex analogia fidei genuinus huius libri scopus adsequendus sit, paucis indicauimus in prælect. Hermeneut, p. 177. Tandem (4) quum ipsius contextus potissima hic habenda sit ratio, vt nimirum animi nostri sufficienter de vero huius libri scopo conuincantur, conferri potest Meditatio in Prælectionibus Hermeneu, p. 179. citata.*

### §. XXIII.

*Scopus Cantici Canticorum Salomonis.*

Canticum Canticorum est scriptum typicum & propheticum, quo adumbratur regnum & coniugium Messia: qui finis principalis est. Ita recte iudicat WALTHERVS in officina Biblica, & addit, veteres omnes rectissime sequutos esse interpretationem HIERONYMI; vere enim hic pangi Epithalamium spirituale & carmen connubiale sacrum de profundo isthoc mysterio. Ceterum vt hoc argumentum  
Cantici

Cantici & hic finis eius principalis exacte ac certo cognoscatur, tenendum est, idem argumentum in Mose, Prophetis ac Psalmis, in sermonibus item Christi, in epistolis Apostolorum & in Apocalypsi, adeoque per integrum scripturæ Veteris ac Nouæ codicem tractari, inlustrari, confirmari & inculcari, vt Paulus Eph. V, 32. inquit: *Mysterium hoc magnum est: loquor autem de Christo & ecclesia.* Pertinet huc, docente Paulo, ipsa institutio coniugii Gen. c. II. Sic typi coniugii Abrahami, Isaaci, Iacobi & aliorum sanctorum data occasione in N. T. huc referuntur. Ita Ps. XLV. c. LXII. Ies. c. III. Ier. V, 1. sqq. c. XVI. Ezech. Hof. c. II. aliaque loca lumen accendunt Cantico Canticorum. In Nouo autem Testamento sua hoc argumentum luce radiat.

## §. XXIV.

*Scopus Prophetarum, speciatim vaticiniorum Iesais.*

Pergimus ad Scopum Prophetarum, eorum nempe, qui *κατ' εἶχον* sic in codice Biblico vocantur. Quum autem circumstantiæ vaticiniorum optime eorum scopum ostendant, exque libris Regum & Chronicorum præcipue contineantur, recte monuit LUTHERVS, hosce libros optimum in Prophetas commentarium præbere. Atque hinc, in primis vbi vaticiniis narratio non

adiicitur, scopum, quem Prophetæ suis in vaticiniis habuerunt præstitutum, addiscimus. Inseruit huic negotio BALTHASARIS KOEPKENII Introductio ad lectionem Prophetarum, scriptum Germanicum, vbi circumstantiæ historicæ apte collectæ sunt, ipsa breuitate se tironibus commendans. Nec parum hoc institutum iuuabit Chronotaxis LIGHTFOOTI.

Quod iam speciatim ad Iesaiam attinet, historiam ætatis eius, quæ statum rei publicæ & ecclesiæ Iudaicæ complectitur, breuiter enarravit initio sui in hunc Prophetam commentari AVGVSTVS VARENIVS, quem videant Auditores. Quemadmodum summa hæc fuit concionum Christi: *Respicite, adpropinquauit enim regnum cælorum: \** Ita Prophetarum omnium, adeoque Iesaiæ etiam, idem manifestissime cunctis in concionibus scopus fuit, hac sola distinctione, quod Christus regnum cælorum tamquam appropinquans adnuntiaret, quod Prophetæ tamquam venturum prædixerunt. Prima concio Iesaiæ quod mere pœnitentialis sit, res ipsa loquitur. Capite secundo, tertio & quarto Regnum cælorum h. e. Gratia & Gloria Christi, bonumque inde redundans apertius prædicitur. Attamen ibi etiam scopum Prophetæ si accuratius examinemus, facile intelligemus, in ipsis illis de Christo vaticiniis istum ipsi finem fuisse propositum, vt  
popu-

\* Matth. IV, 17.

populum ad resipiscentiam inuitaret vna cum posteris, ad quorum cognitionem vaticinia illa pertingerent. Vt hæc res euadat clarior, exemplo eam inlustrabimus. Cap II, 2. 3. 4. quæ vltimis temporibus, h. e. Messia, futura sint, prænunciantur; sed quo fine? hoc versus quintus indicat: *Domus Jacobi agite, ambulemus in luce Iehouæ*, q. d. Siccine omnes aliquando gentes confluent ad montem domus Iehouæ, & nos nostræ non pudeat tarditatis in negotio salutis? Absit hoc omni modo. Ita, exemplo Christi, Jesaias & reliqui Prophetæ promissionibus Euangelicis vsi sunt tamquam argumento præcipuo, quo ad pœnitentiam peccatorum agendam homines permouerent, eosque ad bonam frugem reducerent. Qui scopus, licet generalior videatur, tamen accommodatus quamplurimis vaticiniis, seu potius in iis ex ipso contextu obseruatus, ipsam eorum expositionem, & consilii, quo singula dixerint, apprehensionem haud parum iuuabit. Deinde, quum inuitatos frustra ad resipiscentiam, immo contemptum verbi pœnitentiæ reliquis peccatis adiicientes, ac in deterius in dies ruentes non potuerint non manere grauissima Dei iudicia; quæ proinde a Jesaia & reliquis Prophetis iussu Dei denunciabantur: Consolationis loco, in gratiam eorum, qui resipiscerent, vaticinia de Gratia Gloriarque regni Christi, suauissima ab iis passim adduntur.

Vt hæc res iterum exemplo euadat clarior, considerentur iudicia, quæ c. III. Jes. prædicuntur, & promissa augustissima, quæ capite quarto statim illis subiunguntur: *Tempore illo erit germen Iehouæ gloria & honori &c.* Concionum singularium Iasaïæ argumentum scite exposuit NICOLAUS GVRTLERS in Theologia Prophetica c. X. p. 109. 113. quo subsidio Auditores vti possunt ad finem Prophetæ geminum, quem modo indicauimus, nempe vt inuitaret ad resipiscentiam præfractos, & consolaretur resipiscentes, iis, vbi locum alteruter habere potuerit, vaticiniis accommodandum. Alia enim est consideratio scopi in libris historicis, alia in propheti-  
cis, ibi facilius omnia ad vnum eundemque scopum reuocantur: hic vero singula vaticinia seorsum consideranda, singulorumque scopus seorsum perpendendus est; perinde, vt in Psalterio haud suffecerit scopum generalem totius libri callere, sed singuli psalmi peculiarem possunt scopi, quo omnia verba collineant, animaduersionem. Interim generalis scopus indicari potest, eiusque dextra applicatio multum confert ad genuinam vaticiniorum etiam singulorum expositionem. Huc diligenter Auditores referant ea, quæ LVTHERSVS habet in Præfatione in Iesaiam sub rubrica: *Wovon der Prophet Iesaias handelt.* Ibi enim LVTHERSVS scopum generalem declarat. Et Christus quidem est  
scopus



scopus vltimus & principalis, vt totius scripturæ, ita Iesaiæ & reliquorum Prophetarum. Licet enim pro re nata ipsa vaticinia de Christo referantur ad concionem pœnitentiæ, ideoque videatur concio pœnitentiæ potius finis principalis & vltimus esse, vtpote propter quem vaticinia illa sint prolata; ipsa tamen concio pœnitentiæ vltimo ad Christum spectat. Eo magis autem scopus ille generalis Iesaiæ & reliquorum Prophetarum animaduertendus est, quod ille passim in Nouo Testamento verbis expressis grauisissimisque inculcetur. Vid. Luc. XXIV, 44. Act. III, 18. Rom. I, 2. Luc. IV, 6. Ioh. XII, 40. 1 Petr. I, 10. 2 Petr. I, 19. Tacemus nunc, Apocalypsin subinde se ita referre ad prophetarum, speciatim Iesaiæ, vaticinia, vt ex eius collatione cum libris propheticis Veteris Testamenti, sollers lector facile possit argumentis firmissimis colligere, quid spectauerint Prophetæ, seu quem scopum sibi habuerint propositum.

Ita, quod prophetis non fuerit duntaxat propositum, vt homines suæ ætatis docerent, hortarentur, redarguerent & consolarentur, & vt sæculum, quo ipsi viuebant, præclaris doctrinis inlustrarent, sed posteris etiam ex mente atque intentione Spiritus S. esse loquutos, & ipsorum vaticinia spectare non modo periodos Veteris Testamenti vltimas, sed etiam Noui Testamenti tempora, inde vs-

que a primis ad nouissima : id discimus ex 1 Petr. I, 10. aliisque locis, in primis vero ex Apocalypsi. Sic quod Jesaias c. I, 9. videtur de sua ætate tantum dixisse, Paullus Rom. IX, 29. explicat de initio temporum N. Testamenti, vt intelligeremus, hoc caput Jesaiæ, & in primis verba ab Apostolo citata, non esse restringenda adeo ad tempora Jesaiæ, aut mox futura, sed extendenda vsque ad Novi Testamenti tempora, vbi vel maxime eorum complementum sequutum esset : quæ sunt verba SEBASTIANI SCHMIDII in Adnotationibus ad hunc locum Jesaiæ. Quanti autem momenti sit, accurate & scientia certa ac firma tenere, hunc omnino Prophetarum scopum fuisse, nemo non facile percipit. Neque hic acquiescendum, sed ad generaliore aliquem scopum in Jesaia & reliquis Prophetis deueniendum est. Nimirum Deus cum etiam in finem excitauit Prophetas, eorumque vaticinia ad posteritatem transmittenda curauit, vt religioni Christianæ constantissima firmissimaque olim argumenta præberent. Sic Jes. XLI, 23. Deus ait : *Indicate, quæ euentura sint in posterum, vt cognoscamus vos esse Deos.* Vaticiniis igitur, eorumque implemento euidentissimo cultus idolorum efficacissime redargui debuit. Hunc scopum ex AVGVSTINO egregie explicant Auctores Galli sapius laudati in Præfatione sua, quam præmiserunt Adnotationibus

bus

bus suis in Iesaiam. Si hoc pacto scopus generalis & generalior, quem modo significauimus, probe fuerit obseruatus & ad expositionem vaticiniorum probe accommodatus, tum demum perueniendum est ad specialioris scopi singularum Prophetiarum considerationem: quæ in præsentia non est nostri instituti, vbi de scopo librorum, non singularum pericoparum agere cœpimus.

Proderit adiicere, quæ habet WALTHERVS in *Officina Biblica* de scopo Prophetarum.

1. ait *promissionem de benedicto semine, eiusque aduentu & beneficiis studuerunt illustrare, hominesque in eius expectatione & fiducia confirmare.*
2. *instantes pœnas tum suis, tum exteris populis Dei nomine prædixerunt.*
3. *Temporis sui idololatriam seuerè redarguerunt, & contra veram de Dei cultu doctrinam egregie confirmarunt.*
4. *Secundæ tabule vitia magno cum zelo taxarunt.*
5. *Responsa dederunt, si quando a quibusdam fuerunt consulti.*
6. *Historias quasdam insperserunt, ὡς ἐν παροιμίᾳ.*
7. *Aliquando politica mandata habuerunt, tempore cum primis belli, aut aliarum difficultatum.* Itaque Prophetæ erant partim doctores Ecclesie, partim etiam gubernatores Politici, quod exemplo Moysi, Samuelis, Davidis, Debora, Hulda, Esaia, Ieremie, Danielis & Esdræ manifestissimum est.

Supereft, quum finis, quem diximus, Iesaiæ sit communis cum reliquis Prophetis, vt  
finem

finem Iesaiæ proprium, saltem ei cum paucis communem esse dicamus, vt accurate exponerentur & conseruarentur oracula diuina, quæ ipse accepit super Iudam & Ierusalem in primis, & hac occasione etiam super reliquas, potissimum vicinas gentes, temporibus Vfiæ, Iothami, Achafi & Hiskiaë, regum Iuda; quod ipsa inscriptio edocet.

§. XXV.

*Scopus Ieremiæ tum vaticiniorum tum  
Threnorum.*

Scopus libri vaticiniorum Ieremiæ magnam partem iam cognosci potest ex iis, quæ ad Iesaiam diximus, in quibus nempe generalis omnium Prophetarum scopus consistit. Sunt tamen etiam hic, quæ seorsum de Ieremiæ vaticiniis notari merentur. (1) Quum multa eaque insignia momenta historię Iudicę libro Ieremiæ contineantur, non dubitamus etiam hunc illi scopum adsignare, vt illa pars historię ecclesiasticę Veteris Testamenti, quæ tempora captiuitatem Babylo nicam proxime antegressa & ex parte ipsam captiuitatem complectitur, vtpote momenti longe maximi, perfectior nobis exhiberetur. (2) Quum Ieremias inter Prophetas ille sit, qui non modo captiuitatem sed etiam eius per LXX. annos durationem clarissime prædixit; ideo Spiritus S. merito censetur librum vaticiniorum eius dedisse, & Ecclesię in Canone

none Scripturæ S. commendasse, vt non solum illo tempore de consilio iustitiæ ac misericordiæ diuinæ constaret ecclesiæ, (vid. c. XXX, 2. seqq. coll. v. 24. c. XXXVI, 2.) & pii in captiuitate haberent, quo animum consolarentur, (quod videre licet, Dan. IX, 2.) sed etiam ne temporibus sequentibus Deus gloria priuaretur, quæ ei, ex iustissimo illo aduersus populum rebellem iudicio, & ex impenfa misericordia, qua illius castigationi terminum præfixit, pariterque veritati & fidelitati eius, qua accurate & comminationes & promissiones præstitit, deberet. (3) Ipse Deus c. I, 10. indicat scopum, quem in ministerio huius prophetæ sibi præstituerit. *Vide, inquit, præscio te hodierno die gentibus ipsis, & regnis ad exstirpandum, & ad demolendum, & ad perdendum, & ad destruendum; ad ædificandum, & ad plantandum.* Ad quæ verba scite sic commentatur SEB. SCHMIDIVS: *Hi scilicet sunt duo fines ministerii, prædicare Legem & Euangelium. Per Legem euellit, destruit, perdit, euertit, h. e. iram & pœnam diuinam minatur, vt maledictione terreantur homines, conuertanturque, aut suo merito intereant. Per Euangelium ædificat & plantat pœnitentes: (vid. BRENTIVS) Hoc tamen simul obseruandum, quod de spiritualibus & æternis non tantum, sed & de temporalibus hic sermo: quod Prophetarum proprium est, quum alias de temporalibus in specie nil habeat*  
mini-

*ministerium.* (4) Tempus vaticinationis Ieremias est a decimo tertio anno Iosias, ac tempore Ioiakimi ad vndecimum Zedekias, adeoque integros XL. annos & quod superest, vaticinatus est. Immo etiam post Zedekias annum vndecimum officio vatis diuini functus est, in Iudæa & in Ægypto, quod patet ex c. XLIII, 8. seqq. Cognoscenda itaque est temporis illius historia ex 2 Reg. XXI-XXV, & 2 Chron. XXXIII-XXXVI. & scopus Ieremias proprius in eo constituendus, vt ostenderetur negotium, quod Deo intercescit per Ieremiam cum populo suo, antequam prædictam a Iesaja aliisque captiuitatem Babylonicam exsequeretur: qua occasione etiam aliis, in primi vicinis nationibus, instinctu Dei iudicium denunciari debuit, vt in Iesaja etiam factum erat. Et hoc est illud euellere, destruere, perdere, ad quod Deus Ieremiam se misisse dixerat. Nimirum non pertinet tantum ad Iudæos, sed etiam ad nationes reliquas. (5) Nec prætereundum est, Ieremiam esse inter Prophetas eum, qui de Messia, & de temporibus Noui Testamenti dilucide clarissimeque vaticinatus est, in primis c. XXIII, XXX, XXXI, XXXIII, ita vt etiam Epistola ad Hebræos, vbi de professo de V. ac N. T. agitur, lectorem ad hunc Prophetam remittat. Certissime itaque tenendum est, hunc sibi etiam scopum præstituisse in hoc libro Spiritum S.

(6) Libri

(6) Libri Threnorum, licet is seorsum inter libros sacri codicis numeretur, tamen, quia eiusdem auctoris, immo etiam argumenti eiusdem est, merito hic scopum adiungimus, qui est, ut recte habet WALTHERVS, *deplorare peccata populi & pœnam ob peccata iusto Dei iudicio immissam, videlicet subuersionem vrbis & templi per Chaldaeos factam, simulque admiscere doctrinam pœnitentiæ ac fidei, ut in ipsa morte Iudæi adspirare queant ad precandum.* Hæc ille. Quis autem dubitet, ut tempora Ieremiæ figuram continent collapsi status Ecclesiæ Noui Testamenti, ita lamentationibus eius significari etiam querelas Sionis spiritualis, de quibus Iesaias quoque c. XXXIII, 7. & alibi, sicuti etiam reliqui Prophetæ passim eas prædixerunt. Nec putandum est, sine consilio Dei singulari factum esse, ut istiusmodi lamentationes peculiari libro etiam comprehenderentur, in quo adeo quoque memoriæ causa ordo alphabeticus obseruaretur.

## §. XXVI.

*Scopus vaticiniorum Ezechielis.*

Scopus vaticiniorum Ezechielis optime percipitur, si animaduertamus (1) Tempus, quo vaticinatus est. Fuit enim tempus ipsius captiuitatis Babylonice. Sine dubio itaque scopus & finis vaticiniorum eius fuit, ut Deus Iudæis in ipsa illa miseria testam

tam faceret suam misericordiam, qui Prophetas excitaret in ipsa captiuitate, qui eos ad resipiscentiam impellerent, & admissorum pœnitentes consolarentur, atque instituerent, qua ratione inter gentes idololatricas Deum quærere, eiusque cultum in Spiritu ac veritate conseruare deberent, licet cerimonialis cultus tantisper iusto Dei iudicio cessaret. Consilium hoc Dei accuratius intelligemus, si considerauerimus Ezechielem cum Rege Ioiachino abductum, sicque in medio turbæ captiuæ\* fuisse. Ita nimirum Deus Ecclesiæ prospexit, etiam in illo corruptissimo statu, vt falis aliquid in impia illa multitudine, captiuitatem subeunte, superesset, quo in officio contineretur, saltem semen sanctum ad reductionem ex captiuitate promissam conseruaretur. Magis admirabimur hoc Dei consilium & sapientissimum & amoris plenissimum, si cogitemus, quo tempore Ezechiel in captiuitate Babylonica prophetauit, eo tempore Ieremiam eodem officio Hierosolymis functum fuisse.\*\* Hac enim ratione non modo Deus vtrobique populo misero prospexit, sed etiam ipsa harmonia vaticiniorum a duobus Prophetis locis diuersis editorum diuinitatem eorum atque indubitam veritatem egregie confirmauit. Ceterum Ezechielem non tantum vaticinatum esse de  
Chri-

\* c. I, 1, 2, 3.

\*\* Legatur c. XXIV. XXV. libri 2, Reg. it. Ier. XXXIX.



Christo, ac de gratia Noui Testamenti discretissima eius oracula testantur, sed Apocalypsis insuper cum hoc Propheta collata edocet, Spiritui Sancto in eius vaticiniis scopum fuisse, vt de nouissimis temporibus deque regno Christi glorioso luculentissima maximeque sublimia posteritati testimonia præberet.

## §. XXVII.

*Scopus libri Danielis.*

Vt scopum libri Danielis recte cognoscamus, animaduertendum est ante omnia, quam admirabilia & singularia cuncta in hoc Propheta existant. Ipse Daniel quantus vir fuit? Inde vsque a pueritia Deum ex animo coluit, & vsque ad finem vitæ in sua pietate perseuerauit, nec secundis rebus mutatus, neque aduersis, licet has illasque abunde fuerit expertus. Tantum pietatis perpetuæ constantissimæque exemplum, quod corrupta ratio sibi facile persuaserit sortem humanæ mentis excedere, quis dubitet ex singulari Dei consilio memoriæ prodi debuisse? Adfirmamus igitur, hunc primum Spiritui Sancto in libro Danielis canonicis reliquis addendo scopum præstitutum fuisse. Deinde quam eximium speciatim fidei Danielis exemplum fuit? Huc se refert Epistola ad Ebræos capite XI, 33. quando ait, *fide ora leonum obsiructa fuisse.* Ibidem, dum mox additur v. 34.

*Franck, Scopus V. T.*

F

*vim*

*vim ignis fide extinctam fuisse*, simul ad illustre fidei exemplum respicitur, quod c. III. Danielis commemoratur. Atque si recte consideremus librum Danielis, quantus quantus est, hoc agit, ut fidei viæ, nihil nisi Deum solum habentis pro magno, & non modo omnem mundi gloriam, sed etiam ipsam vitam præ amore ac veneratione Dei flocci facientis, exempla atque ideam quasi viam nobis repræsentet. Hoc itaque dicimus secundum scopum in hoc libro existere. Porro illa ipsa pietate ac fide Danielis id effectum fuisse, ut veri Dei cognitio ad gentes perueniret, adeo, ut ipsi Monarchæ suam de vero Deo confessionem publice testatam facerent, cuius in lectione libri Danielis obuium est. Atque in eo merito miramur sapientiam & prouidentiam summi Numinis, castigationem populi sui eo dirigentis, ut ipse Deus populi Iudaici in captiuitatem abducti gentibus profanis innotesceret. En mysterium crucis carni absconditum! Putasset ratio humana, neminem in posterum adoraturum esse Deum Israelis, utpote qui populum, nomine suo adpellatum, non protegeret; idololatriam vero nunc demum esse vires sumturam, quum populus, in quo vnico hætenus verus Dei cultus conseruatus esset, ab idololatriis captius teneretur. Verum res longe aliter euenit. Numquam enim magis Deus gloriam nominis sui illustrauit, quam

eo ipso tempore, quo illa prorsus pessum datum iri credebatur. Hoc ipsum igitur tertio dicimus scopum libri Danielis conscribendi fuisse. Considerantibus autem nobis, Deum his gradibus accessisse ad negotium salutis in Christo orbi offerendæ & ad gentes profanas adsciscendas in communionem gratiæ suæ in Christo Iesu, dilucidius patebit, quis Spiritui Sancto in rebus, quæ in libro Danielis narrantur, scopus exstiterit, hic nempe, ut Verbum Propheticum gentibus innotesceret, & in primis ut vaticinia de Christo ad illarum cognitionem peruenirent, atque sic negotio omnium maximo diuinissimoque via præpararetur. Hic scopus, si vllò in libro, certe in libro Danielis obseruandus est. Profundius autem introspectietur hoc Dei consilium, si sequentes etiam gradus ex historia sacra euoluantur, quibus Deus progressum fecit ad sui Christique noticiam profanæ gentilitati præbendam: quo pertinet inter alia etiam versio librorum Veteris Testamenti in linguam Græcam. Iam si cogitemus, Danielem Ieremiæ vaticinia esse meditatum c. IX, 2. ipsumque Danielem Ezechieli probe cognitum fuisse Ezech. XIV, 14. 20. inde constare nobis potest, etiam quinto hunc Spiritus S. scopum esse animaduertendum, quod voluerit tot insignium Prophetarum excitatione, qui partim locias in vaticinando iungerent manus, partim alius

alium mox sequerentur, in summa temporum illorum calamitate, & quum seuerissima aduersus populum rebellem iudicia exerceret, suam sanctitatem, sapientiam, potentiam, prouidentiam, benignitatem documentis gravissimis testari, & , vt sic dicamus, totis viribus id agere, vt populum collapsum denuo erigeret & ecclesiae res adflictissimas instauret. Neque id praerereundum est, Danielem a reliquis Prophetis in hoc euentissime distingui, quod vaticiniis suis quasi historicum agat, qui circumstantias specialissimas futuri temporis, haud aliter quam praeteritas, enumeret. Vnde etiam SAMVEL BOCHAR-TVS in Epistola quadam peculiari\*, quam de characteribus infitis diuinitatis Scripturae S. scripsit, caput vndecimum Danielis confert cum historia, vt hoc exemplo demonstret diuinitatem Scripturae sacrae ex accuratissimo implemento circumstantiarum specialissimarum a Daniele praedictarum. Hoc autem merito nos referimus sexto ad ipsum Spiritus S. scopum, quem in libro Danielis habuit. Tandem septimo tenendum est, Danielem non modo, vt reliqui Prophetae, Christum praedicere, sed tempus etiam aduentus eius praereliquis accurate designare: id quod ap-  
prime pertinet ad scopum huius Prophetae.

## §. XXVIII.

\* Bis haec epistola excusa est Halis nostris seorsum, cuius editio secunda prodiit anno clo dcc xxii. praer prima commendanda.

## §. XXVIII.

*Scopus vaticiniorum Hoseæ.*

Scopus vaticiniorum Hoseæ cognoscitur (1) e temporis, quo vixit, conditione. Discimus enim ex cap 1, 1. eum temporibus Vsiæ, Jothami, Achasi, Hiskiaë, Regum Iuda, & temporibus Ierobeami, filij Ioaschi, regis Israelis prophetasse. Ex libris Regum igitur & Chronicorum eadem repetenda sunt historica, quæ inde diximus haurienda esse, vbi scopum vaticiniorum Iesaiæ, in eadem tempora incidentium indicauimus. Proinde, quæ VARENIVS succincta narratione de statu illorum temporum complexus est, & suo in Iesaiam commentario præmisit, ad Hoseam etiam referenda sunt: quatenus nimirum hic Propheta respectum habuit ad regnum Iuda. Quum autem notanter adiiciatur, ipsum temporibus Ierobeami secundi prophetasse, hinc patet regni Israelitici etiam statum, qui iis temporibus fuit, esse noscendum, vt scopus huius Prophetæ plenius cognoscatur. Hoseas enim & Amos potissimum decem tribubus: quemadmodum Iesaias cum Ioele & Micha potissimum Iudæis illis temporibus Prophetæ dati fuerunt. En igitur Dei scopum in Hosea & reliquis Prophetis coæuis. Vt tempora fuerunt corruptissima, & magis atque magis in deterius ruere cœperunt: ita Deus non vnum, sed

plures excitauit Prophetas, neque eos inter Iudæos tantum, sed etiam inter decem tribus seu in regno Israelitico, qui se zelo diuino torrenti illi vitiorum ac scelerum & epidemice corruptioni obiicerent. Quem scopum etiam Deus haud dubie in quamplurimis obtinuit, licet, qui ad Deum serio conuerterentur, pauci essent in comparatione ad illam multitudinem, qui in peccatis perseuerarunt. Hanc non modo decem tribuum, sed etiam Iudæorum impænitentiam præfractam, secundum maximam eorum partem, quum Deus præsciret, ideoque iudicia sua pœnalia dudum decreuisset, in mittendo Hosea & reliquis Prophetis eo tempore excitatis hunc habuit scopum, vt homines intelligerent ex plurimum vatum testimonio, iudicia illa certissime suo tempore ventura esse, immo vt intelligerent etiam, quæ & quanta illa iudicia essent exstitura, vt vel hoc pacto plures ad resipiscentiam commouerentur. Licet autem illis temporibus pauci resipiscerent, vt dictum, in comparatione ad impænitentes; minime tamen frustra tot Prophetiæ tunc editæ fuerunt, aut fructus earum tenuior fuit, quam id dignum esset Numinis maiestate. Dei enim in Hosea & reliquis Prophetis scopus pertinet etiam ad tempora sequentia, in quæ incideret vaticiniorum illorum impletum, immo etiam ad sæcula omnia futura Deus respectum habuit. Quem igitur esse.

ctum

Etum conciones Propheticae non habuerunt in hominibus ætate Prophetarum viventibus, eum fortiti sunt & illo tempore, quo posteri illorum conspexerunt accuratissime omnia impleri, quæ Prophetæ prædixissent, & etiamnum sortiuntur & habebunt ad finem usque sæculorum. Quemadmodum Danielis c. XII, 4. prædicitur, tempore finis multiplicatum iri scientiam Prophetarum concionum, antea obsignatarum. Cæterum ut omnium Prophetarum, ita etiam Hoseæ duplex præcipue officium fuit, primo ut prædicaret pœnitentiam, deinde ut vaticinaretur de Christo & gratia N. Testamenti. Et vltimum hoc quam maxime in Hosea animadvertendum est, cuius illustria testimonia de gratia N. T. etiam ab Apostolis adducuntur, ut videre est 1 Petr. II, 10. Rom. IX, 26.

## §. XXIX.

*Scopus prophetae Ioelis.*

Scopus Ioelis manifestissime etiam constituitur in duobus illis momentis, in quibus opera reliquorum Prophetarum versatur, nempe in prædicatione pœnitentiæ ac fidei. De ætate eius differit CAMPEGIUS VITRINGA in *Typo Doctr. Prophet.* p. 35. seqq. atque argumentis probabilibus euincere nititur, eum vixisse eodem tempore cum Amoso, & paulo ante illum hanc, quam ab eo habemus, prophetiam edidisse. Amosi autem ætas ca-

pite eius primo versu primo exprimitur, quod nempe inciderit in tempora Vfiæ, regis Iuda, & Ierobeami, regis Israelis. Horum itaque temporum conditio discenda est, vt speciatim cognoscamus, quomodo scopum illum, quem in prædicatione pœnitentiæ sibi præstituit, exsequutus sit. Addendum, quod, sicut Hoseas & Amos Israelem seu decem tribus, ita Ioele Iudæos ad pœnitentiam peccatorum agendam, vna cum Iesaja adhortatus sit. Vnde patet, Dei in excitando hoc Propheta scopum fuisse, vt Amoso, in primis inter Israelitas agenti, testem hunc inter Iudæos adiungeret, atque sic & vtriusque redargutionibus ac variciniis & maiorem auctoritatem conciliaret, & de voluntate sua vniuersum populum, iam in duo regna diuisum, instrueret. Huc pertinet, quod optime etiam VITRINGA notauit, quod Amos incipiat suam Prophetiam ea sententia c. I, 2. qua suam fere claudit Ioele c. IV, 16. *Ieboua ex Ziione rugiet &c.* Item, quod de eadem plaga locustarum, siccitatis & ignis, quam Amos Israelitis proposuit, hic ad Iudæos sermonem fecerit: qua plaga tamen ex consilio Dei prædicebant, tamquam signo sensibili, plagam aliam ei similem, nempe hostium immanissimorum multitudinem diuersis vicibus regioni immittendorum. Vid. VITRINGA ad Apoc. IX, 3. Ceterum in Ioele attendendus est quam maxime præcipuus eius &

&amp;



& vltimus scopus, qui haud dubie consistit in vaticinio peregregio & liquidissimo de Christo & gratia Noui Testamenti. Sane primum loelis erat testimonium, quod in prima illa Petri concione, effuso Spiritu Sancto, vrgebatur. Sic enim Petrus ait Act. II, 16. *Hoc illud est, quod dictum est per Prophetam Ioelam: Et erit vltimis temporibus (dicit Deus) effundam ex Spiritu meo in quamuis carnem, &c.*

## §. XXX.

*Scopus prophetiae Amosi.*

In Amoso facile obseruatur idem Scopus duplex, quem reliqui Prophetæ habuerunt, nempe prædicatio pœnitentiæ ac fidei. Nam comminationes eius grauissimæ, eo pertinentes, vt homines ad resipiscenti- am commoueret, eæque tum contra gentes, tum contra bina regna Israelitarum & Iudæorum (horum tamen fere tantum obiter. c. II, 4. 5.) prolatae, lectoribus statim obuia sunt. Si vero consideremus tempus, quo vixit hic Prophetæ, & quis tum status rerum, in regno Israelitico in primis fuerit, consilium Dei, quod in excitando hoc Prophetæ habuit, facile nobis patescit. Nam vt vix meliori loco res Israelitici regni fuerunt, quam sub regimine Ierobeami secundi, ita dubium non est, ipsum feliciorum rerum successum magis

F 5 tunc

tunc homines impulisse in securitatem carnalem, omniaque inde promanantia scelera, præsertim idololatriæ, inhumanitatis & luxuriæ. Pari ratione, quum sub Vsiæ etiam regimine res Iudaici regni caput maxime erigerent, minor tunc fuit iudicii diuini metus & maior in vitiis progressus. Quæ corruptio quum omnia peruasisset, vt deessent doctores ordinarii, qui officio satisfacerent, & principes, sacerdotes, populumque ad bonam frugem reuocarent, res ipsa poposcit, vt Deus doctores extraordinarios daret, qui de imminentibus iudiciis publice testarentur. Neque negligendum est speciale Dei consilium, quod in Amoso e vilissimo hominum genere (pastor enim pecorum erat) ad Propheticam functionem adsciscendo habuit. Ita nimirum iam tum (perinde vt postea in N. Testamento teste Paulo 1 Cor. I, 27. 28. 29.) *quæ stultæ erant mundo, elegit Deus, vt pudefaceret sapientes: & quæ erant infirma mundi, elegit Deus, vt pudefaceret valida: & quæ ignobilia erant mundo, & pro nihilo habitæ, elegit Deus, & ea, quæ non erant, vt ea, quæ erant, aboleret, vt ne gloriaretur vlla caro in eius conspectu.* Quam ferio porro Deus rem illis temporibus egerit, vt cum Israelitas, tum Iudæos ad pœnitentiam reduceret, vel inde nobis maxime constat, quod non modo eiusdem Ierobeami secundi tempore vixerit etiam

iam Ionas Propheta \*, sed præterea etiam Ioel, Iesaias, Hoseas coæui eius existierint. Scopum autem Spiritus Sancti euangelicum, quem in Amoso sibi proposuit, quique in primis ex cap. IX, 11-15. elucet, ab Apostolis etiam animaduersum esse, ostendit Act. c. XV, 15-17. vbi Iacobus in ipsa synodo Apostolica ait: *Huic rei consonant verba Prophetarum; sicut scriptum est: Post hæc reuertar, & restaurabo tabernaculum Dauidis collapsum, & ruinas eius restaurabo, & rursus erigam illud, vt requirant reliqui homines Dominum, & omnes gentes, super quas inuocatum fuerit nomen meum: dicit Dominus, qui facit hæc omnia.* Idem ostendit testimonium, quod Act. VII, 42 inde Stephanus depromit. Sic LUTHERVS in Præf. in hunc Prophetam ait: *His huius propheta testimonia citantur in Nouo Testamento. Semel Act. VII, 42, 43. vbi S. Stephanus eum adlegat ex cap. V, 25. contra Iudeos, inde demonstrans, quod legem Dei numquam seruauerint inde vsque ab exitu ex Aegypto. Iterum Act. XV, 15, 16, 17. vbi S. Iacobus in primo synodo Apostolorum adducit eius testimonium ex ultimo capite, ad confirmandam libertatem christianam, quod ethnici in Nouo Testamento non teneantur seruare legem Moysi, cum Iudæi ipsi eam numquam seruauerint, ac ne potuerint quidem opere implere, sicut S. Petrus concionatur Act. XV. Et hinc sunt duo*

præ

\* 2 Reg. XIV, 25.

*præcipua membra in concionibus Amos, & quidem maximi momenti,*

§. XXXI.

*Scopus vaticinii Obadiæ.*

In Obadiæ breuissimo vaticinio Scopus duplex prædicationis pœnitentiæ ac fidei, itidem satis patet. LUTHERVS in præfatione in hunc Prophetam confilium Dei, quod hic habuerit, scite ac pie exponit: qui omnino videndus est: Ex quo IOANNES TARNOVIUS scopum huius Prophetæ sic expresit: *Obadia hoc sine vaticinatur, ne aut Israelitæ Edomæorum sortem præferrent suæ, aut praua æmulatione accensi, a fide deficerent, sed consolationem acciperent, quum intelligerent, fore vt etiam hi seuißimi ipsorum, hostes despolientur, quando ipsi sibi plusquam, miseri viderentur, & ii, qui soli ab aliis affligerentur.* Hæc ille. Addimus autem merito, comminationem aduersus Edomæos etiam ad ipsorum conuersionem vtique spectare, vt omnes reliquæ redargutiones diuinæ non ad perniciem hominum, sed ad seruandos peccatores directæ sunt. Ad tempora Ieremiæ probabiliter refertur. vid. v. 12. & 20. conf. Thren. IV, 21. Ceterum collatio reliquorum Prophetarum, & in N. Testamento etiam Apocalypseos, edocet, scopum Spiritus Sancti vltterius sub typo Israelis pertinere

tinere ad Ecclesiam N. Testamenti, sub typo  
autem Edomi ad regnum Anti-Christi,

## §. XXXII.

*Scopus libri Iona.*

Scopus Spiritus Sancti in Iona principalis ille est, quem Christus in N. Testamento Matth. XII, 40. seq. c. XVI, 4. Luc. XI, 29. exponit, nimirum, vt in eo haberetur typus & figura mortis, sepulturae & resurrectionis Christi. Licet autem huc merito consilium, quod Deus habuit in iis, quæ cum hoc Propheta egit, vltimo referatur: plura tamen sunt, quæ sibi Deus tamquam scopum in ipsa missione Iona præstituit. Voluit enim Deus, postea quam Prophetas complures ad Israelem misisset, neque is tamen peccatorum pœnitentiam egisset, tandem etiam ad gentes aliquem Prophetarum suorum ablegare, vt non modo profanos homines ipsos ad pœnitentiam vocaret, (qui citra dubium proximus missionis finis fuit) sed etiam, vt, si dicto audientes existerent gentes, (quod Deus sane præuidit) conuinceret populum suum, quod multo sic ipsis gentibus profanis peior. Deinde quum Deus vellet decem tribus punire per Assyrios, vt pote qui illas deinceps in captiuitatem abduxerunt, ostendit prius historia illa conuersionis Nineuitarum, se non immerito illis vt, tamquam organis, in vlciscenda Israelitarum inobe-

inobedientia, qui se meliores quam Israelitæ hactenus præbuisſent, quod ad vnus Prophetæ vnicam concionem egiffent pœnitentiam, Israelitæ vero tot Prophetas ac tot eorum conciones frustra audiuiſſent: quæ est RVPERTI TVICIENSIS obſeruatio. Porro voluit Deus hoc exemplo ſignificare, quid olim futurum eſſet, ſi verbum Dei ab Israele ſecundum carnem repelleretur, & ille ſe indignum decerneret vita æterna; nempe vt tunc ſe conuerteret ad gentes. Act. XIII, 46. Hoc ipſum vero olim poſt reiectum Meſſiam, occiſum, ſepultum, reſuſcitatum ita euenturum eſſe, typo Ionæ egregie fuit ex conſilio Dei ſapientiffimi ſignificatum.

§. XXXIII.

*Scopus libri Michæ.*

Michæ ſcopus fuit idem, qui Ieſaiæ, vt iisdem temporibus, nempe ſub Iothamo, Achaſo & Hiſkia vaticinatus eſt. Ex conſilio igitur Dei teſtimonium addere debuit vaticinio Ieſaiæ tum contra Iſraelem ſeu decem tribus, tum contra Iudam, tum etiam in promiſſionibus de Chriſto & gratia N. Teſtamenti. Harmonia autem Michæ & Ieſaiæ euidentior eſt, quam reliquorum Prophetarum in eo, quod quæ Ieſaias de regno Meſſiæ c. II. prædixit, ea iisdem verbis repetat Michæ c. IV, 1, ſeqq. iisque, ex voluntate Dei

Dei plura adiungat, quæ loco citato in Iesaja non habentur. Deinde capituli quinti v. primi adductio in Matth. c. II, 6. ostendit vaticinium quasi *ιδιαιτερον* huius Prophetæ. Ut enim Iesaias ex consilio Dei debuit prædicere natiuitatem Mesfiæ ex virgine; ita Micha designare debuit locum & urbem, vbi nascendus esset. Tantem notandum etiam est, non sine singulari Dei consilio factum esse, vt hic Propheta omnium clarissime vastationem Sionis atque Hierosolymæ c. I, 1. c. III, 12. prædiceret, ita vt etiam tempore Ieremiæ testimonium illud a senioribus populi proferretur Ier. XXVI, 18. 19. e quo loco discimus simul, Deum etiam scopum sibi præfixum in illa comminatione obtinuisse, nempe vt Hiskias rex vna cum populo suo precibus pœnitentialibus iisque seriis ad Deum se conuerteret, atque sic suo saltem tempore iudicia illa pœnalia auerteret. Interim ex consilio Dei prædicere Propheta debuit futuram Israelitarum per Assyrios, & Iudæorum per Chaldæos abductionem.

## §. XXXIV.

*Scopus prophetiæ Nahumi.*

Scopus Prophetæ Nahumi videtur primum is esse, vt excidium denuntiet imperio Assyriaco atque illius præsertim Metropli, quæ erat Nineue, vrbs omnium amplissima atque potentissima; deinde vt e contrario

trario solatium impertiat populo Dei, inprimis promissionem gratiæ Noui Testamenti. Ista scopi constitutio supponit explorationem ætatis, qua hic Propheta varicinatus fit: de qua ætate viri ætatis historiciæ sacræ profanæque peritissimi mire inter se contendunt, vt difficile utique sit, quamcumque amplectamur sententiam, eam ab omnibus obiectiōnibus penitus liberare. Post *Ionam* eum vixisse, dubio caret. Hinc specialior scopus dici potest, vt Niniuitis, Ionæ prædicatione quidem conuersis, at in scelera turpissime relapsis, immo factis multo quam antea peioribus, prædicetur, fore, vt Deus tandem aliquando tarditatem pœnæ grauitate compenset, in primis vero de tanto gratiæ ac *μακροδουλικῆς* suæ abusu vltionem fumat. Adludere videtur Nahumus Cap. I. versibus prioribus ad Ionæ Cap. IV, 2. qui locus igitur, tamquam parallelus, recte apponeretur ad Nahumi c. I, 3. quod tamen non ita obseruatum fuit ab illis etiam, qui alioquin operam dederunt, vt parallelismum accurate colligerent. Ante omnia autem apponi debebat locus Exodi XXXIV, 6. 7. qui est locus fundamentalis, quo Nahum, & quo ante eum Dauid, aliique prophete frequentissime respexerunt. Cæterum notari merentur ea, quæ in *typo doctrinæ propheticiæ* habet CAMPEGIVS VITRINGA pag. 36. *Naumi*, inquit, *Elkoschiæ* (incertum ad genus, *an-*  
nata-



natalium locum, referendum sit nomen, proxime post Iesaiam & Micham figenda est etas, atque adeo sub Iehiskia non tantum post deportationem decem tribuum, sed & post cladem Sancheribi cap. I, 11. 12. unde argumentum prophetie defunctum est & captata occasio predicendi integrum interitum Nini & regni Assyriaci. Consensus eius cum Iesaiâ non tantum quod ad materiam prophetie, sed & phrasin, patet ex cap. I, 13. cum Ies. X, 27. cap. I, 15. cum Ies. LII, 7. Quæ de oppugnatione Diospolitana habet cap. III, 10. referenda videntur ad temporis Sabaconis, æthiopsis; non ad Sancheribum, ut vult Vsserius. Hactenus ille. DN. D. IO. HEINRICVS MAIVS in œconomia V. T. p. 896. inter alia de tempore, quo vixerit Nahum, sic loquitur: HIERONYMVS Nabumum Iesaiæ ουγγερον facit. Maxime placet NICOLAUS GVRTLERVS in System. Theol. Proph. p. 122. 123. §. LXVII. qui censet, Nabumum vixisse tempore, quod inter decem tribuum deportationem in Assyriam & cladem Sennacheribi intercessit; illam enim factam, hanc faciendam, constare ex cap. I, 12, 13. Pergit MAIVS: Differt in eo a Iona, quod Ionas Niniuen profectus, viua voce exclamauerit, quæcumque ipsi Deus denuntiando iniunxerat; Nabumus autem libro ea consignauerit, quæ visione diuina ipsi oblata ostensaque sunt; unde prophetiam inscripsit LIBRVM VISIONIS, quod, explicans Franck. Scopus V. T. G 66

te TARNOVIO, sit veluti fecialis epistola, qua Nahum nomine Imperatoris sui summi, i. e. Dei, bellum Assyriis indicit, quem propterea statim describit, consiliumque eius & causas ira commemorat, bellique modum ac progressum subiicit.

### §. XXXV.

*Scopus vaticiniorum Habacuci.*

Scopus Prophetæ Habacuc facile intelligitur, si argumentum vaticiniorum eius aliquantulum perlustretur. Argumentum autem hoc optime sane describit laudarus D. MAIUS in *æcon. Vet. Test.* p. 986. Argumentum, inquit, ut bene & breuiter GROTIUS scribit, ei congruit tempori. I. Deplorat fas & iura euersa, quod numquam magis, quam sub Manassè euenit Cap. I, 1-5. ubi luget nomine piorum sui temporis grassantem vim & oppressionem in regno, (DNR) vanitatem in religione seu idololatriam, indeque oriundam contentionem & litem, arumnam, vastitatem, legis & iustitiæ neglectum. II. Prædicit excidium gentis per Chaldaeos, Iesaiæ premens vestigia, qui rem eandem Ezechie iam ante prædixerat, ut videre est 2 Reg. XX, 17. 18. Patet nimirum exinde, scopum huius prophetæ maxime in eo versari, ut difficillimis his & corruptissimis temporibus Manassis prædicationem penitentiae ageret, (qua re quam maxime opus erat)

erat) & prædiceret iudicia diuina grauis-  
 ma, quæ vel maxime illo tempore populum  
 Iudaicum manebant, imprimis captiuitatem  
 Babylonicam. Præterea ea ipsa occasione le-  
 faias etiam & reliqui prophetæ eodem modo  
 rem instituerunt, occasione, inquam, ma-  
 lorum, quæ in illa ætate prædicenda erant,  
 progrediebantur ad vaticinium de gratia Chri-  
 sti, utpote ex qua, tamquam fonte præci-  
 puo, solebant prophetæ consolationis argu-  
 menta proferre. Caterum nucleus prophe-  
 tiæ integræ est dictum illud cap. II, 4. *Iustus*  
*ex fide sua uiuet*, quod facile agnosceret is, qui  
 ex Nouo Testamento didicerit, quanto in  
 pretio dictum illud fuerit Paulo, quippe qui  
 Rom. I, 17. Gal. III, 11. Hebr. X, 38. adeo-  
 que in tribus epistolis illud allegat. Facile  
 animaduerti potest, singulis prophetis esse a-  
 liquot dictum proprium, quod eminent &  
 prærogatiuam quasi habet in omnibus eorum  
 dictis, quodque ea radiat luce, ut reliquo-  
 rum etiam vaticiniis lumen aliquod sceneret-  
 tur. Qualia dicta imprimis selecta fuerunt  
 ab ipso Christo & ab Apostolis, deinde et-  
 iam testimonii loco præ reliquis adducta. Et  
 manifestissimum est, in locis modo adductis  
 epistolæ ad Romanos, Galatas & Hebræos  
 Paulum quasi in oculis gessisse dictum illud  
 huius Prophetæ: *Iustus ex fide sua uiuet.*  
 Quemadmodum enim in Mose præcipue vr-

get dictum Genes. XV. de fide Abrahami ; *Imputatum est ei in iustitiam*, ita in prophetis maxime recurrit ad hoc huius prophetae dictum, & ad dictum Ies. XXVIII, 16. *Qui credit, non erubescet.* De dicto illo Habac. II, 4. conferri possunt, quæ in *Prælectionibus Hermeneuticis* p. 82. 83. monuimus, ubi etiam allegatur D. HEINRICI HOEPFNERI disp. XII. p. 376. in qua nimirum dictum illud & pie & docte pertractavit HOEPFNERVS.

### §. XXXVI.

#### *Scopus prophetiæ Zephaniæ.*

Zephaniæ Scopus idem est, qui antecedentis prophetae Habacuci & imprimis Ieremiæ coævi prophetae. Optime iterum D. IO. HEINR. MAIVS in *oeconomia V. T.* p. 997. cap. XII. dicit; *Ieremias sub Iosia prophetavit, cuius extremis temporibus Zephania etiam surrexit, certus arcanorum Domini speculator & interpres, qui strictim ea prædixit, quæ Ieremias proluxe retulit.* Certe non spernenda est illa observatio, quod prophetarum in primis & reliquorum virorum Dei, quibus, tamquam organis singularibus, Deus usus est, nomina non sine Dei providentia sint imposita, & haud immerito etiam retulerimus illam ipsam observationem ad præsens nostrum institutum, Sic Zephania verus fuit

*specu-*

*speculator Domini*, & simul etiam, quæ significatio aliis arridet, *occultus Domini*. Recte etiam modo laudatus MAIVS l. c. monet, quod Zephania cum *Ieremia conferendus* & ex illo explicandus intelligendusque sit. Ex qua collatione & imprimis etiam ex accurata 2 Reg. cap. XXII. & XXIII. nec non ex 2 Paralip. c. XXXIII. & XXXV, lectione, Iosæ, pii alioquin regis, tempora corruptissima fuisse videbimus, adeoque verum prophetæ scopum penitius cognoscemus, quam si eum hoc pacto, quo iam factum est, in genere consideremus. Scopus igitur, vt rem specialius enucleemus, primo fuit, vt captiuitatem Babylonicam prædicando eos ad pœnitentiam excitaret; secundo, vt etiam de remotioribus Dei iudiciis, quæ Iudæos manerent, excidio vltimo a Romanis inferendo, vaticinaretur; tertio, vt gratiam Noui Testamenti in gentes redundaturam gloriosissimumque & æternum Christi regnum prædicaret pro more reliquorum prophetarum.

## §. XXXVII.

*Scopus prophetarum Haggai, Zacharia & Malachia.*

Superfunt tres prophetæ, qui post captiuitatem Babylonicam vaticinati sunt, Haggæus, Zacharias & Malachias. Singularem hi tres prophetæ characterem ex ipso modo

G 3

nomi-

nominati scopi consideratione habent, nimirum, quod vaticinati sint post captiuitatem Babylonicam. Eam ob caussam & illum ob characterem iuuabit primum indicare, quem hi tres prophetae singularem habeant scopum, quem omnes tres habeant communem, distinctum tamen a scopo prophetarum antecedentium, & tum demum de specialiori ipsorum scopo addere, quae obseruationem mereantur. Notandum igitur primum est, hunc fuisse Dei scopum & hoc illius consilium in excitandis tribus hisce prophetis, ut, quemadmodum per prophetas, immediato Spiritus Sancti instinctu locutos, mala Iudaeis obuentura curauerat praedicenda, cum illa omnia, prout praedicta, euenissent, ita per prophetas etiam Iudaei de veritate Dei iustissimisque eius iudiciis, quae perferentiscent, monerentur, ne & ipsi maiores suos imitati eandem poenam cogerentur subire. Huc pertinet illud Zachariae I, 4-6. *Ne sitis similes maioribus vestris, quibus proclamauerant prophetae priores dicendo: Sic ait Iehoua exercituum, reuertimini iam a viis vestris pessimis: non enim auscultaui neque attenderunt ad me, dictum Iehoua. Maiores vestri vbinam sumi? & prophetae ipsi, an in seculum viuunt? Verum tamen verba mea & statuta mea, quae praeceperam seruis meis prophetis, nonne assequuta sunt maiores vestros? adeo ut reuersi dixerint, quem-*  
admo-

*admodum cogitauerat Iehoua exercituum facere nobis secundum vias nostras & secundum actiones nostras, ita egit nobiscum.* Hæc verba maxime emphatica sunt; emphasin autem eorum & scopum diuinum, quem in illis habuit, tum demum recte intelligimus, si animum aduertamus ad temporis istius periodum, qua Zacharias ea locutus est. Secundo cum iam tempus aduentus Messiae, ab omnibus prophetis promissum, propius instaret, æconomiae diuinæ ratio exposcere videbatur, vt denuo Deus prophetas excitaret, qui aduentum Messiae & propinqua Noui Testamenti tempora ita prædicerent, vt periodo isti quam maxime conueniret. Ita Haggæus cap. II, 6. 7. dicit: *Sic ait Iehoua exercituum, adhuc semel, parum illud est, tum ego commoturus sum caelos et terram, et mare et siccum, et commoturus sum omnes gentes, vt veniant desiderati omnium gentium, et impleturus domum hanc gloria, ait Iehoua exercituum.* Iam alia ratione profert prophetiam de Messia, quam antecedentes prophetae: **כְּעַט דְּיָמַי**, *parum hoc seu exiguo id tempore ait: v. 9. Maior est gloria domus huius posterioris, quam illius prioris, ait Iehoua exercituum.* Cur hac phrasi vtitur: *quam illius prioris?* quia nimirum ad eo remissi erant in ædificando templo, cogitantes, hoc templum tamen non accessurum ad templi prioris gloriam. Ideo dicit glo-

riofiore illam domum præ priore futuram, quod non impletum fuisset, nisi de aduentu Messiaë id intelligi deberet. Et Zacharias c. III, 1. *Ecce ego missurus sum angelum meum, qui expediat viam ante me, & REPENTE veniet in templum suum Dominus, quem vos queritis, & angelus federis, quo vos delectamini, ecce venturus est, ait Iehoua exercituum.* Hæc si ita coniunctim sumantur vaticinia, quæ habentur in tribus istis prophetis, idem character adparebit, qui diuersus est a characterẽ præcedentium prophetarum. Tres autem Deus hæc periodo ecclesiæ prophetas dedit, vt hoc modo ex ore duorum aut trium testium firmum hominibus esset verbum eius. \* Ceterum vt communis prophetarum scopus est, vt homines ad pænitentiam agendam hortarentur, ita ne post grauisimas illas quidem castigationes populus Iudaicus is fuit, qui eiusmodi extraordinariis comminationibus ad resipiscentiam impellentibus non indigeret, quod partim ex historicis circumstantiis horum prophetarum & grauib. redargutionibus, partim ex libro Esræ & imprimis Nehemiæ constat. His suppositis de scopo, quem omnes tres communem habent, notandum est, Haggæi specialiore scopum eum esse, vt populi negligentiam in extruendo templo argueret,

\* 2 Cor. XIII, 1.



gueret; adeoque declarat, malorum, quæ huc vsque etiam perpetrati erant, non aliam esse causam, quam studium illud commodi priuati, præ quo publicam rem neglexerant. Idem scopus specialior Zachariæ fuit. Quum enim Haggæus hoc obtinuisset concionibus suis a populo, vt ad restaurandum templum se accingerent, Deus eodem anno mense octauo Zachariam illi adiunxit (Zachar. I, 1. coll. Hagg. I, 11.) vt opus illud diuinum & is vrgeret, omniaque, quæ in animis essent, obstacula remoueret. Principalis autem ille scopus omnium Prophetarum, nimirum vt de Christo testentur, Act. X, 43. & vt aliquando ex ipsorum vaticiniis omnibus constare posset, Iesum esse illum ipsum, de quo locuti sint, Messiam, eo, quod tempus aduentus eius iam propinquius esset, luculentissime ab vtroque (Haggæo & Zacharia) ob oculos ponitur. Id quod vt rectius intelligatur, non modo inter se (vt Hagg. II, 8. cum Zach. II, 10. 11. c. III, 8. c. VI, 12. 15. c. VIII, 22.) sed etiam cum scriptis Evangelistarum & Apostolorum diligenter sunt conferendi. Vid. Ebr. XII, 26. Matth. XXI, 5. Ioh. XII, 15. Matth. XXVII, 9. Ioh. XIX, 37. Matth. XXVII, 31. Marc. XIV, 27. Malachiæ tandem is est scopus specialior, vt exstructo iam templo impietate quotidie ægrescente, concionibus & vaticiniis

fuis sese obiiceret torrenti illi corruptelarum, & sacerdotes populumque ad frugem reuocaret, atque sic Messia, tamquam vltimus prophetarum, viam quasi præpararet. Quod autem de primario hoc scopo, ad Messiam pertinente, in Haggæo & Zacharia obseruandum esse monuimus, id etiam in Malachia locum habet, vt facile cuique ex collatione cum vtroque illo & Mal. IV, 1. 2. cum Luc. I, 78. & V, 5. 6. cum Matth. XVII, 10. Marc. IX, 11. Luc. I, 17. patere potest.

Habemus scopum librorum Veteris Testamenti; superest, vt eam etiam in singulis Noui Testamenti libris consideremus.



Scopus

SCOPVS  
LIBRORVM NOVI  
TESTAMENTI.

SCOPVS  
LIBRORVM NOVI  
TESTAMENTI.





§. I.

*Nouum Testamentum triplicis generis  
libros continere.*

**N**Ouum Testamentum in tri-  
plicis generis libros dispescitur,  
in Historicos nimirum, Apo-  
stolicos & Propheticum. *Historici libri*  
sunt quatuor Euangelistæ & Actus Apo-  
stolorum. *Apostolici* sunt epistolæ, & quidem  
Pauli ad Romanos  
2 ad Corinthios  
ad Galatas  
ad Ephesios  
ad Philippenses  
ad Colossenses  
2 ad Thessalonicenses  
2 ad Timotheum  
ad Titum  
ad Philemonem  
ad Hebræos  
Epistola Iacobi

2 Epi-

- 2 Epistolæ Petri  
 3 Epistolæ Ioannis  
 Epistola Iudæ.

Epistola ad Hebræos in nostris Bibliis Germanicis reliquis Pauli epistolis adposita non est, quod nomen eius non habet; & quamquam ex aliis satis evidentibus characteribus a Paulo scripta esse colligitur, initio tamen a quibusdam, an Paulum auctorem habeat, dubitatum fuit. Neque id hoc loco obiter notandum fuerit, Pauli epistolas neutiquam eo temporis ordine scriptas esse, quo nunc quidem in Noui Testamenti volumine alia aliam sequatur. LVDOVICVS CAPELLVS in *Historia sua Apostolica* hoc eas ordine adposite collocauit: Vtraque ad Thessalonicenses, ad Titum, ad Galatas, vtraque ad Corinthios, prior ad Timotheum, ad Romanos, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Philemonem, ad Ephesios, ad Ebræos, posterior ad Timotheum. Hoc qui non obseruat, in multis facile aberrabit, & e.g. naufragium Pauli 2 Cor. XI. ex Act. XXVII. explicabit, cum tamen hæc epistola multo ante, quam istud naufragium contigit, scripta sit. E contrario autem hæc observatio in multis lucem præbere potest. *Liber Propheticus* est S. Ioannis Apocalypsis,

## §. II.

*Scopus historiarum euangelicarum.*

Finis & scopus, quamobrem Euangelistæ historias suas Euangelicas consignauerint, omnium optime ex dicto Io. XX, 30. 31. dignoscitur. *Multa etiam alia signa edidit Iesus in discipulorum, suorum conspectu, quæ non sunt scripta in hoc libro: Hæc autem scripta sunt, ut credatis, Iesum esse Christum illum filium Dei, & ut credentes vitam habeatis per nomen eius, qui & totius de Christo euangelii scopus est.* Accuratius adhuc Lucas scopum, cur euangelium suum scribere adgressus sit, designat, (quod de reliquis etiam certo modo dici poterit) ita exorsus: *Quoniam multi adgressi sunt componere narrationem earum rerum, quarum plena fides nobis facta est, prout imdiderunt nobis, qui a principio spectatores ipsi & ministri fuerunt sermonis; visum est etiam mihi, omnia alte repetita penitus adsecuto, ordine illa ad te scribere, præstantissime Theophile: ut cognoscas earum rerum veritatem, quas auditione accepisti.\** Quo aliquatenus etiam retuleris, quæ in epistola ad Hebræos leguntur\*\**: Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem; quæ quum primum enarrari cepit per ipsum Dominum, ab iis, qui ipsum audierant, fuit nobis confirmata &c.* Ex quibus hoc ad mini-

\* Luc, I, 1. 2. 3. 4.

\*\* c. II, 3.

minimum pater, Deum etiam hunc scopum habuisse, vt facta a Christo salutis nostræ adnuntiatio per fideles ipsius testes ad posteros propagetur, idque quidem tanto tutius per scriptas relationes, vt eo minus additamenti alicuius humani periculum foret. De qua præfixa sibi scopi instar certitudine non Lucas solum dicto loco testatur, sed Ioannes etiam \* *Hic est, inquit, discipulus ille, quæ de his restatur & hæc scripsit, & scimus, firmum esse testimonium eius.* Quo loco causam etiam, quamobrem multa alia, a Iesu patrata, litteris haud consignata sint, indicat, dicens v. 25. *Sunt & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur sigillatim, ne mundum quidem ipsum opinor capturum eos, qui scriberentur, libros: vt adeo propter humanam imbecillitatem reliqua litteris non mandata, & sancto Dei consilio ea duntaxat selecta fuerint, quæ ad Iesum Christum & verbum gratiæ adnuntiandum sufficere credita sunt.* CYRILLVS *Non omnia, inquit, quæ Dominus fecit, conscripta sunt, sed quæ scribentes (Apostoli) tam ad mores quam ad dogmata putarunt sufficere.* vid. CHEMNITII *Examen Conc. Trid.* p. m. 39.

§. III.

\* c. XXI, 24.



## §. III.

*Omnium quatuor Euangelistarum vnus  
idemque scopus.*

Eatenus igitur vnus idemque omnium quatuor Euangelistarum scopus est, vt videlicet scripture complectantur omnia, *que cepit Iesus & facere & docere ad eum vsque diem, quo sursum receptus est\**, vt per hac ipsa in Christum credentes aeternam salutem consequeremur; Nisi forte in huius illiusue Euangelistæ libro peculiarem adhuc scopum considerare velimus, quod exempli causa Lucas, quemadmodum ipse in principio testificatur, id præcipue egerit, vt omnia iusto ordine, quo alia alia insequuta fuerint, conscriberet, adeoque hæc illaue fufius commemoret; Ioannes autem ex Veterum testimonio euangelium suum præcipue ad demonstrandam diuinam Christi naturam conscripserit, & propter hunc scopum multos Christi sermones & facta enarret, ex quibus diuinam Christi maiestatem multo luculentius cognoscere possimus, contra autem hæc illa silentio prætereat, quorum mentionem reliqui fecerunt.

## §. IV.

*Scopus Euangelistarum non sine fructu  
consideratur.*

Hic Euangelistarum scopus recte obseruatus  
Franck. Scopus N. T. H magno

\* Act. I, 1. 2.

magno nobis vsui est, quotiescunque in Euangelistarum lectione vel in peculiari alicuius pericopes meditatione versamur (1) vt vitam Iesu Christi Domini nostri eo penitus pernoscere adnitamur; quoniam sapientissimum Numen ad eam iuste exponendam quatuor ex fidei seruis suis Spiritu Sancto instructos esse voluit, vt perfectissimum illud exemplar viuis coloribus ob oculos nobis depictum animis nostris alte imprimeretur: (2) vt non satis habeamus, nudas historias memoria comprehendere, sed vt ex Euangelistarum scriptis fidem nostram in Iesum, Dominum, vere fundemus atque stabiliamus, adeoque per eandem fidem æternæ salutis spem firmam teneamus. vt hanc nostram fidem tanto studiosius in imitatione Christi demonstramus; quemadmodum non tantum ipsi Euangelistæ hunc enarrationis suæ scopum esse verbis Iesu declarant\*, sed Apostoli etiam diligentissime hoc ipsum inculcant.\*\* (4) vt harmoniam etiam & concentum Euangelistarum tam in re ipsa quam in ordine historiarum non contemnamus. (5) vt in primis  
in

\* vid. Io. XIII, 15. c. XV, 17. 18. 19. 20. &c.

\*\* e. g. Rom. XV, 1. 2 Cor. VIII, 9. Phil. II, 5. Coll. III, 13. 1 Pet. II, 21, 22, 23. c. IV, I. 2. 3 Ioh, II, 6.

in doctrina de Persona & officio Iesu Christi, Domini nostri, nos, quantum satis est, fundemus & roboremus, id quod eo melius obtinetur, si in omnibus historiis & sermonibus hunc scopum esse, obseruemus, vt Iesu Christi gloria manifestetur,

## §. V.

*Scopus Actuum Apostolorum.*

Scopus & intentio Lucae in enarrandis Apostolorum Actibus ex initio ipsius euangelii, collati cum Act. I, 1. 2. ex parte cognoscitur, nimirum vt enarrationem Euangelicam persequatur & iam porro ordinatim exponat, quæ post ascensionem Iesu Christi contigerint, & quomodo ecclesia Christiana per Apostolos Domini plantata sit, *testimonium eorum doctrinae præbente Deo & signis & prodigiis, variisque virtutibus & Spiritus sancti distributionibus pro sua voluntate.* Probe tamen heic obseruandum est, quod Lucae scopus non is fuerit, vt omnium ac singulorum Apostolorum res gestas exponeret, quippe cui alioquin nullo modo fecisset satis: sed quod Christianæ quidem doctrinæ initia, per vocem Apostolorum ab effusi Spiritus Sancti tempore tam inter Iudæ-

H 2

68

Ebr. II, 41

os quam inter gentiles facta, enarret; deinde autem tamquam Pauli comes (quomodo hinc præcipue obseruatur, quod ipse innuat, quo tempore Paulo adsociatus sit, dum alias de Paulo eiusque sociis in tertia semper persona, at c. XXI, 10, 11. in prima persona loquitur, adeoque sese ipsum includit) ad huius Apostoli historiam sese conuertat. Ut adeo hic liber a maiore parte *Acta Pauli Apostoli* dici possit. Hanc autem enarrationem ita instituit, ut vndique adpareat, non nudam historiarum commemorationem pro scopo habuisse, sed ut per hanc ipsam confirmet fidem in Iesum, Dominum, & ut sapientiam, pietatem, deuotionem, caritatem ac patientiam tam ipsorum Apostolorum, quam eorum, qui Christo fidem dederant, proponat, atque mirandas Dei vias in verbi sui propagatione, inque defensione ac liberatione suorum deprædicet. Quisquis igitur ad hunc sanctissimum scopum attendit, in omnibus sermonibus ac narrationibus digitorum Spiritus Sancti multo melius cognoscet & tanto facilius in omnibus ædificationem sui reperiet, istumque librum pro præcipuo habebit, vnde vera prisca Christianismi sinceritas in doctrina & vita dignosci debeat. Immo vero; diligenter notandum est, quod, quem.

quemadmodum libri Moſis primum in vniuerſo ſacro codice locum tenent, vtpote ex quibus, veluti fonte, reliqui hauſti ſunt omnes; & ſicut hi cum cæteris libris hiftoricis ante Prophetas & Pfalmos reperiuntur; ita Euangeliftæ & Acta Apoſtolorum, & cum primis hæc poſteriora, ante epiſtolas Apoſtolorum facis inſtar ſint, quæ viam lectoribus commonſtrent, vt tam ſcopum & intentionem in vna quaque epiſtola, quam argumentum & circumſtantias recte poſſint percipere.

## §. VI.

*Scopus epiſtolarum Pauli in genere.*

De Pauli Apoſtoli epiſtolis in genere obſeruandum eſt, quod illarum ſcopus cum ipſius officio optime congruat: nimirum vt myſterium Chriſti notum faciat, quemadmodum ipſe hoc innuit Eph. III. Et quoniam iis præſertim temporibus Iudæos inter & Ethnicos controuerſia agitabatur de Iuſtificatione, de operibus Legis, de populi Iudaici prærogatiuis præ gentibus, & quæ eo ſpectant: hinc ſcopus &

H 3 inten-

intentio Apostoli in plerisque ipsius epistolis est, ut his de rebus suis, quantum satis est, erudiat: Et certe lectori epistolarum Paulinarum multum prodesse potest crebra Actorum, in primis autem capituli XV. euolutio, quippe in quo vera huius controversiae origo habetur. ¶ Praeterea ad obseruandum verum Apostoli in omnibus suis epistolis scopum non parum facit trium momentorum in Apostolo consideratio. Primum quidem, quod veram & saluificam fidem atque Iustificationem hominis peccatoris coram Deo magno studio inculcet, & quam planissime exponat; adeo ut hoc donum in ipso praeter reliquis Apostolis vniuersis excellat. Deinde, quod flagrantissimo & vere materno amore ecclesias prosequutus sit, atque inde ex ista amoris abundantia erga illas sese gerat, etsi non sine sancto zelo & seueritate, si quid animaduersione dignum in illis obseruauit. Denique quod magna vbique sapientia, prouidentia ac circumspectione usus sit, si vel boni aliquid tuendum, vel pax & concordia sancienda, vel abusus in ecclesiis vituperandi fuerunt. Ut hinc fido olitori, omnem quidem laboris sui fructum a caeli benignitate exspe-

expectanti, alacri tamen & prompto animo hortum colenti, nec vlllo vnquam labori in plantando, rigando, lolium tribulosque euellendo parcenti, atque teneras plantas ab noxiis casibus circumspecte tuenti, similis esse censeatur. Ex his Apostoli proprietatibus multi fluunt sermones, quos si digne perspicere diuinitus nobis datum est, verborum ipsius scopum sæpe multo facilius maiorique cum emolumento cognoscere possumus. Quod ipsum eo etiam valet, vt sanctis Apostoli vestigiis eo melius insistere, & fidem ipsius in Iesum, Dominum, ardentissimum amorem, quo *vexatus vsque ad vincula, vt facinorosus, omnia tolerauit propter electos, vt & hi ipsi salutem consequerentur, quæ est in Christo Iesu cum gloria æterna,\** nec non coniunctam cum magna animi submissione sapientiam in timore Domini imitari possimus,

## §. VII.

*Scopus epistolæ ad Romanos.*

In epistola ad Romanos Scopus Apostoli est, vt iis, qui ex Iudæis & Ethnicis Christo sese addixerant, demonstret vniuersos tam Iudæos quam Ethnicos ante Christum cognitum peccato iræque diuinæ subiacere & sine operibus legis sola fide

H 4 iusti-

\* 2 Tim. II, 9. 10.

iustificari. Quod ubi potissimum ad Iudæos, legis iustitiam consectantes, attinebat, argumenta probantia & obiectiones, quibus respondet, plerumque eius generis sunt, ve iis ipsis Iudæorum, iustitiam operum propugnantium, errorem conuellat. Neque vero, cum Iudæos inter & Ethnicos hæc controuersia existeret, Ethnicos, ne Iudæos contemnerent, nec firmiores infirmos parui facerent, monere, adeoque veram fidei vnitatem & sinceri amoris fraterni vinculum, ab vtraque parte tuendum, commendare præmittit. Ex hac Pauli intentione non initium tantum epistolæ ad caput vsque IX. sed hoc ipsum etiam caput cum X. & XI. diiudicari debet: quo modo facilius multo intelligitur, quam ubi Apostoli proprius & primarius scopus in capite IX, vt de Prædestinatione agat, esse creditur. Immo ob ipsum modo dictum scopum tot graues adhortationes in capitibus XII. XIII. XIV. XV. Apostolus subiungit. Hæc autem epistola cum vere fundamentalem doctrinæ Christianæ Articulum tractet, ideo tam distinctum atque planum rotius doctrinæ Christianæ compendium sistit. Quisquis igitur hunc Apostoli scopum in lectione epistolæ ad Romanos diligenter obseruauerit, ille (1) eam ipsam in deliciis habebit ex eaque in fundamento salutis suæ sese probe fundare adnitetur. Et sane vnumquemque egregie sibi consulturum, existimo, cui



cui epistolam ad Romanos, veluti quotidianum enchiridion semper legere ac in timore Dei & sub assiduis precibus tractare, volupe fuerit. Hoc certe efficacissimum foret remedium, cuius beneficio contra varios doctrinæ humanæ ventos & tentationes firmiter consistere possemus. (2) Controversiam tunc temporis Iudæos inter & Gentiles agitaram ab ea, quæ hodie inter Protestantes & Pontificios, vel Protestantes inter & Socinianos viget, eo liquidius distinguet, aut qua in re hodiernæ priscis illis controversiis conveniant, perspiciet: (3) Inde etiam melius intelliget, quomodo Apostoli argumentis ad se in veritate confirmandum adversarios autem confutandos, sine vlla veri scopi Apostoli inuersione, recte uti possit. (4) Admirandam totius epistolæ connexionem eo liquidius cognoscer, adeoque egregiam vniuersæ doctrinæ Christianæ harmoniam & consensionem percipiet: Denique (5) totum fundamentum & verum salutis ordinem, & ex quam scaturigine omnis Christiana pietas promanare debeat, & quod vera & saluifica fides resipiscenciam vitæque sanctimoniam secum ferat, feliciter adsequetur. Incipientibus LUTHERI præfatio in hanc epistolam non satis commendari potest, quippe in qua hæc momenta vniuersa egregie obseruata sunt & consignata.

## §. VIII.

*Scopus epistolæ prioris ad Corinthios ex ipsis Pauli verbis cognoscitur.*

In priore ad Corinthios epistola Scopus Apostoli ex ipsis eius verbis ac narrationibus patet. Ita loquitur cap. I, 10. 11. 12. *Precor vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut idem loquamini omnes, & non sint inter vos dissidia, sed sitis eadem mente & eadem sententia. Declaratum enim est mihi de vobis, fratres mei, a domesticis Chloes, quod lites sint inter vos. Hoc autem dico, singulos vestrum dicere, ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cepha, & ego Christi. & cap. IV, 17. 18. 19. Propterea misi vobis Timotheum, qui est filius meus dilectus, & fidelis in Domino, qui vobis in memoriam reuocabit, quæ sunt via mea in Christo, sicut ubique in omnibus ecclesiis docco. Ceterum perinde quasi ego non sim venturus ad vos, inflati sunt quidam. Sed veniam cito ad vos, si Dominus voluerit, & cognoscam non verba istorum inflatorum, sed potentiam. Et Cap. V, 1. 2. Omnino auditur inter vos scortatio & eiusmodi scortatio, quæ ne inter gentes quidem nominatur, adeo ut quis uxorem patris habeat. Et vos inflati estis, ac non potius luxistis, ut tolleretur e medio vestri, qui facinus hoc patravit. Et Cap. VI, 1. Sustinet aliquis vestrum negotium habens aduersus alterum, iudicio expe-*  
rit

riri sub iniustis ac non sub sanctis. Et Cap. VII, 1. Caterum de quibus mihi scripsistis, bonum fuerit viro mulierem non attingere. Et Cap. VIII, 1. Caterum de iis, qua idolis immolantur, scimus, nos omnes cognitione esse praditos. Cognitio inflat, caritas autem edificat. Et Cap. XI, 2. Laudo vos, fratres, quod omnia mea meministis, & sicuti tradidi vobis, traditiones retinetis. Et comm. 17, 18. Hoc vero mando, ut vos non laudem, quod videlicet non cum emolumento, sed cum detrimento convenitis. Primum enim, quum convenitis in ecclesia, audio dissidia inter vos esse. Et comm. 21. Unus quisque propriam cenam praecipuat in edendo, & hic quidem esurit, ille vero ebrius est. Et Cap. XII, 1. De spiritualibus donis, fratres, nolim vos in eorum ignoratione versari. Et comm. 31. Adfectate dona potiora. Et porro iter ad excellentiam vobis indicabo. Et Cap. XIV, 1. Adfectate caritatem, ambite spiritualia, magis tamen, ut prophetetis. Et Cap. XV, 1. Notum facio vobis, fratres, euangelium, quod euangelizaui vobis quod & accepistis in quo etiam statis. Et comm. 12. Quod si Christus predicatur ex mortuis suscitatus esse, quomodo dicunt quidam inter vos, non esse resurrectionem mortuorum. Et Cap. XVI, 1. De collecta in sanctos, quemadmodum ordinavi ecclesis Galatia, ita & vos facite. Ne pigremur, oportet, haec loca diligenter considerare, si genuinum Apostoli in hac epistola scopum

scopum & intentionem recte intelligere velimus. Duplicis enim generis epistolæ Pauli sunt. In quibusdam vnum tantum argumentum tractat, ibique res in pauca conferri potest; veluti in epistola ad Galatas, ad Ephesios & ad Romanos: In quibusdam autem varia habet, de quibus agat, ibique singula separatim ponderanda sunt; quo hæc ipsa prior ad Corinthios spectat. Ex his igitur locis, quæ in medium produximus, liquet, quam exquisitam sanctus Apostolus ecclesiæ Corinthiæ status omniumque eius nævorum ac vitiorum habuerit notitiam, & quod ipsi Corinthii ad eundem scripserint, sententiam ipsius Apostolicam in quibusdam rebus arduis experentes. Vnde ille occasionem arripuit non tantum epistolæ eorum respondendi, verum etiam, quantum ipsi præterea de corruptione, qua iam tum varie infecti erant, innotuerat, illos admonendi, reprehendendi melioremque iis viam commonstrandi, (& hoc quidem non in diversis tantum morum corruptelis & flagitiis crassioribus, sed in hæresi etiam & erroribus, e.g. de mortuorum resurrectione) immo Timotheum quoque ad ipsos ablegandi, qui ipsius vice paci, tranquillitati & iusto ordini omnia restitueret. Ad summam: Pauli scopus in hac epistola est, vt ecclesiam initio quidem ad Christum conuersam postea

postea vero valde disturbatam in ordinem denuo redigat, & ad mutuum vere christiani amoris exercitium puramque & limpidam diuinarum veritatum cognitionem perducat. Qui Apostoli scopus rite obseruatus hunc usum habet, vt primum quidem vnumquodque momentum peculiare, ab Apostolo tractatum, eo diligentius consideremus, nec alia aliis misceamus. Quomodo ad melius intelligendam hanc epistolam facit, vbi capita VIII. IX. X. vna serie perleguntur, vt pote in quibus Apostolus vnā duntaxat rem tractat, quemadmodum videlicet Corinthiū circa ea, quæ de aëstris sacrificata sint, christianis hominibus digne sese gerere debeant. Adeoque in hac & huiusce modi epistolis aliis digna est, quæ bene obseruetur, monitio B. WOLFGANGI FRANZII, quam in *tractatu suo de Interpretatione Scripturæ Sacræ* suppeditat, lectorem videlicet Scripturæ Sacræ non in vnius aut duorum tantum capitum lectione semper subsistere, sed potius tot simul capita attente perlegere debere, quot de vna materia congruere conspexerit. Deinde hæc scopi cognitio eo etiam facit, vt magnum Apostoli amorem eo melius perspiciamus, quo ductus ecclesiæ Corinthiæ nauos & defectus patientissime tulit, bonum rectumque inter eos laudauit, vitia autem sapienter admodum

modum & circumſpecte, nec minus tamen ſeuere, reprehendit: quid? quod omnia e-  
 git, vt res Corinthiorum non mediocriter  
 collapsos in integrum reſtitueret. Vnde por-  
 ro hæc ipſa epiſtola, bene obſeruato Apoſto-  
 li ſcopo, his præſertim perditis nimium quan-  
 tum temporibus, non parum nobis prode-  
 rit, vt Apoſtoli patientiam, caritatem ac ſa-  
 pientiam imitemur & tempori ita ſeruiamus,  
 quo conſcientiam intemeratam conſeruemus,  
 quoniam hi dies mali ſunt. Denique hæc  
 ſcopi obſeruatio mirificam nobis lucem hunc  
 vel illum huius epiſtolæ textum explicanti-  
 bus adfundet. In interpretando, exempli  
 cauſa, capite nono occupati ex Apoſtoli ſco-  
 po facile cognoscimus, nihil eum in toto hoc  
 capite agere, niſi vt ſuum ipſius exemplum  
 Corinthiis ob oculos ponat, quod libertate  
 ſua aliter non vtatur, quam vbi in aliorum  
 commodum ac ædificationem cedere videat:  
 vt hoc ipſo Corinthiis perſuadeat, vt ne ipſi  
 etiam creditæ ſuæ libertati idolothyta edendi  
 inſiſtant, ſed de ea in infirmiorum gratiam  
 lubentes decedant. Similiter verbis Apoſto-  
 li in cap. X. comm. 15. 16. (*Vt intelligentibus*  
*loquor: iudicate vos quod aio. Poculum be-*  
*nedictionis, cui benedicimus, nonne communio*  
*sanguinis Chriſti eſt? panis quem frangimus, non-*  
*ne communio corporis Chriſti eſt?*) non pa-  
 rum lucis adfunditur, ſi obſeruemus, pro-  
 prium & præcipuum Apoſtoli ſcopum hoc  
 loco

loco esse, vt evidenti exemplo Corinthios conuincat, quod in dæmoniorum consortium transeant, vbi de eorum mensa tam confidenter atque arroganter, & quidem non sine magno infirmiorum offendiculo, participant.

## §. IX.

*Scopus posterioris ad Corinthios epistola.*

In posteriore Pauli ad Corinthios epistola scopus Apostoli iterum manifestus est; quem LUTHERVS commodis verbis exprimit in præfatione huius epistolæ ita scribens: *Superiori epistola S. Paulus Corinthios duriter reprehendit, multis in rebus, atque acre vulneribus vinum insudit ipsosque terruit. Cum vero Apostolus consolando docendoque debeat consternatas ac pavidas conscientias erigere magis, quam terrere, propter ea rursus ipsos in hac Epistola laudat, atque ita quoque oleum vulneribus infundit & valde humaniter cum ipsis agit ac peccatorem incestum cum dilectione suscipere iubet.* Ille scopus imprimis ex principio huius epistolæ solatii pleno adparet; \* ex longiore Apostoli excusatione, quod ad ipsos, quemadmodum superiore tempore promiserat, non venerit; \*\* Ex amantissima peccatoris receptione \*\*\* Neque tamen Apostoli scopus omnis in hoc absoluitur, etiamsi epistolam

\* Cap. I, 3. seqq.

\*\* Cap. I, 15. seqq.

\*\*\* Cap. II, 5. sq.

eo inchoet; verum cum Ecclesia Corinthiaca nondum ex omnibus partibus in meliorem statum reducta esset, laudanda quidem laudat, eosque veluti oves errantes insigni lenitate atque mansuetudine, nec alia quam paterna seueritate tractat; sed nec simul munus suum Apostolicum ipsis prædicare, a falsis Apostolis omnique eorum deceptione ut sibi caueant, eos commonere, & ad libera-liorem in pauperiora Christi membra amoris ostensionem, magna licet propter ipsorum inbecillitatem vsus circumspectione, cohortari prætermittit. Hinc scopus Apostoli & ad eos consolandum & ad se se defendendum, & ad redarguendum, & ad cohortandum ac emendandum spectat. *Huius scopi obseruatio* iterum ad genuinum epistolæ sensum recte percipiendum & ad piam separatorem textuum meditationem non parum conferet. Cum primis autem vbique efficax de profunda Apostoli caritate, sapientia, mansuetudine, patientia, atque diuino zelo testimonium mentibus nostris insinuabit, adeo ut hanc epistolam in præstantissimis ponere nulli simus dubitaturi, si in omnibus verbis sanctam & diuinam intentionem & viuidos solatii ac caritatis fluuios ex ipso profluentes, recte perceperimus.



## §. X.

*Scopus Epistola ad Galatas.*

Epistola ad Galatas, quod ad primarium eius scopum attinet, cum epistola ad Romanos congruit: siquidem in ea de Iustificacione hominis peccatoris coram Deo, quod non operibus legis sed fide contingat, agitur. Alia tamen ratione & methodo propter peculiare circumstantias Galatarum, quippe qui deserto eo, qui vocauerat eos in gratiam Christi, translati erant in aliud Euangelium; \* fascinati erant, ne obsequerentur veritati; \*\* quum cognouissent Deum, conuerterant se retrorsum ad infirma & egena elementa, quibus ad superiora regressi seruire volebant. Dies obseruabant & menses, praestituta tempora & annos, adeo vt Paulus metueret de ipsis, ne frustra fatigatus sit apud eos. \*\*\* Paulus, quem vt Angelum Dei, vt Christum, Resum exceperant, nunc inimicus quasi ipsis factus erat, dum illis vera loqueretur. \* Falsi Apostoli eos ambierant, immo Paulum excludere volebant, vt se ambirent. \*\* Paulus eos iterum parturiebat, vsque quo formaretur Christus in ipsis. \*\*\* Inanes facti erant separati a Christo, quicumque per legem iustificari volebant, & ea gratia exciderant: circumcidi cu-

Franck. Scopus N. T. I piebant

\* Cap. I, 6.

\*\* Cap. III, 6.

\*\*\* Cap. IV, 9. 10.

\* Cap. IV, 14. 15. 16.

\*\* Comm. 17.

\*\*\* Comm. 19.

piebant & rursus implicabantur seruitutis iugo.  
 \* Interrupti erant, ut non obsequerentur veritati, hac persuasio non erat ex eo, qui vocaverat eos. \*\* Diffidiis ita distrahebantur, ut alii alios morderent & exederent. \*\*\* Et nunc demum manifesta erant opera eorum carnis. \* Inanis glorie cupidi alii alios pronocabant, alii aliis inuidebant. \*\* Alii aliorum nequos iudicabant. \*\*\* Quibus circumstantiis diligenter consideratis genuinum Apostoli scopum ac intentionem in hac epistola facile perspiciamus: quod nimirum id agat, ut Galatas in errorum ac vitiorum auia abreptos ad meliorem frugem reducat, eosque cum primis tum in fundamento doctrinæ cælestis ad veram fidei sinceritatem tum ad genuinam caritatem & voluntatum consensionem formet. Vnde in hac epistola degeneres Galatas reprehendit, errores eorum confutat, de iustitia fidei eos erudit & ad fraternum amorem aliosque genuinos Spiritus fructus cohortatur. Hic igitur epistolæ scopus recte obseruatus eo valet (1) ut videamus, quantum opere præcauere Apostolus studeat, ne euangelii puritas fermento iudaico misceatur, ut hanc ipsam ob causam  
 non

\* Cap. V, 4. I.

\*\* comm. 7. 8.

\*\*\* comm. 15.

\* comm. 19.

\*\* comm. 26.

\*\*\* c. IV, 1. 2. 3.

non solum longis litteris Galatis scripserit manu sua \*, sed anathema etiam, hoc est execrationem, in eos pronuntiavit, qui ipsis euangelizauerint præter id, quod acceperint. \*\*

(2) Vt eo liquidius nobis constet, fundamentum salutis nostræ statui in solo Christo & fide in hunc ipsum, in eoque fundamento scripturæ sacræ testimoniis nos roboremus. Quare potissimum B. etiam LUTHERVS, de fundamento salutis aduersus Pontificios scripturus, hanc ipsam epistolam interpretandam sumit; quæ ipsius interpretatio in argumento de Iustificatione in exquisitissimis eius libris merito ponitur. (3) Vt ab Apostolo verum cum seductis agendi modum discamus, nimirum vt ante omnia dispiciamus, an & quibus in partibus quis erret. Deinde vero vbi de errore nobis constat, vt eum castigemus, solidis & perspicuis sacræ scripturæ argumentis confundemus & ante omnia eo in Domino conuincamur, vt seducti in viam reuocentur, infirmi erigantur & contra nouas corruptelas præmuniantur. Vndique certe adparet, præcipuum Apostoli certamen eo spectare, vt formetur Christus in ipsis \*\*\*, vt fide per caritatem efficace \* nouæ creaturæ in Christo Iesu reperiatur. \*\* Quem scopum non tantum

I 2

erro-

\* c. VI, II.

\* c. V, 6.

\*\* Cap. I, 8. 9.

\*\* c. V, 15.

\*\*\* c. IV, 19.

erroneæ doctrinæ confutatione sed multa etiam tenerrimi amoris & mansuetudinis testificatione & veri ac puri veritatis fundamenti demonstratione contingere nititur, epistola ne quidem ad impostores sed ad ecclesiam abalienatam directa. Ex quibus omnibus de genuina scriptorum Polemicorum indole multa addisci possent. (4) Ex huius scopi obseruatione percipere possumus, doctrinam de Iustificatione eum in modum esse tractandam, vt neque Pharisaicæ operum iustitiæ, neque Epicureæ securitati ansa præbeatur: siue, vt homines tum sola se fide iustificari ac saluos fieri, tum fidem istam bonos fructus parere iisque efficacem & actuosam se ostendere oportere, intelligant. cætera.

## S. XI.

*Scopus Epistole ad Ephesios.*

Epistola ad Ephesios itidem præcipuam istorum temporum controuersiam attingit, quemadmodum in consideratione scopi epistolarum ad Romanos & Galatas ex parte indicauimus: quando videlicet ex Gentibus ad Christum conuersi ab rixosis Iudæis, nationis suæ prærogatiua numquam non superbientibus, pro fratribus non habebantur, si iugo legis se submittere ex eaque iusticiam & salutem sperare, recusarent. Scopus igitur

tur Apostoli pro singularium circumstantiarum ratione est, vt demonstrat ac euincat, etiamsi Iudæos inter & Gentiles, Christi disciplinam amplexos, hoc discriminis intercedat, quod illi respectu temporis prerogatiua spei ac cognitionis Christi gaudeant; (quandoquidem Deo eos prius quam Gentes in populum suum adoptare placuisset) nihilo tamen secius conuersos Gentiles eandem gratiam consecutos esse, & nunc tam Iudæis quam Gentibus in gratiæ diuinæ communionem translatis, omne discrimen sublatum, & ethnicos cum Iudæis sub vno capite Christo, veluti vnum corpus coaluisse. Admodum scite eximius & magni nominis Theologus D. MARTINVS CHEMNITIVS in Loc. Theol. edit Wittemb. cl. lxx. pag. 10. *Paulus, inquit, tripliciratione complexus est summam doctrinæ celestis. 1. Modo Catechetico, tamquam in nudis articulis breuissime, sine prolixis probationibus & refutationibus, in Epistola ad Ephesios. \* 2. Paulo longiori explicatione, additis explicationis gratia descriptionibus, argumentis, refutationibus &c. in Epistola ad Galatas. 3. Iuxta translationem,*

13

S

\* Vid. Cap. III, 1.

Et explicatione singularum partium doctrina, in  
 Epistola ad Romanos. Hac, pergit, notanda,  
 sunt propterea, quia & POST APOSTOLO-  
 RVM TEMPORA nunc breuiores summae,  
 tamquam articuli, nunc longiores, pro ratione  
 turbulentorum temporum, editae sunt & cotidie  
 eduntur. Ex quibus CHEMNITII verbis &  
 hoc condiscimus, in peculiari tractationis  
 modo peculiarem etiam Apostoli intentio-  
 nem diligenter notandam. Scopus autem hu-  
 ius Epistolae, supra memoratus, praecipue  
 ex primaria Apostoli conclusione adparet c.  
 II, II. Propterea mementote, vos quosdam Gen-  
 tes in carne, qui dicebamini preputium ab ea,  
 que vocatur Circumcisio manibus in carne,  
 facta, vos, inquam, illo tempore fuisse absque  
 Christo, caetera. Quibus verbis recte perpen-  
 sis facile ad intelligendum est, Apostolum in  
 antecedentibus de Iudaeis loquentem dicere  
 ἡμεῖς, ἡμεῖς, Nos, de Gentibus autem ὑμεῖς,  
 ὑμεῖς Vos & sic porro. Hoc enim nisi o-  
 mni studio obseruetur, fieri non potest, vt  
 Epistolam, siue scopum atque argumentum  
 illius, recte intelligamus, cum e contrario, his  
 bene obseruatis, omnia sua sponte procedant.  
 Ex hoc scopo tria etiam posteriora capita fa-  
 cile intelliguntur: quod nimirum Apostolus  
 fundamento isto primario iacto ad mutuam  
 caritatem & vnitatem spiritus omnesque bo-  
 nos iustitiae fructus conuersos e Iudaeis & Gen-  
 tibus cohortetur, & propofita fidei dogmata  
 ipsa

ipsa ad pietatis exercitium adplicare more suo doceat. Hic igitur Epistolæ ad Ephesios scopus recte obseruatus hunc habet vsum, (1) vt videamus, quomodo res eadem & diuina veritas pro diuersis circumstantiis diuersa ratione ab Apostolo tractetur; vnde ipsius sapientia in proponendo & secundo verbo veritatis elucet. (2) vt amorem Dei vniuersalem in Iudæos & Ethnicos & vtrisque destinatum Iesu Christi meritum recte intelligere discamus. (3) vt vnicum & verum omnium sinceræ caritatis & concordiæ fundamentum, quod in gratiæ Iesu Christi communiõne ab Apostolo ponitur, digne agnoscamus. (4) vt Apostoli exemplo ad pacem in Ecclesia Dei, quantum in nostra fitum est potestate, quærendam sine diuinæ tamen veritatis detrimento, excitemur.

## §. XII.

*Scopus Epistolæ ad Philipenses.*

Scopus & intentio Apostoli in Epistola ad Philipenses ex occasione hanc epistolam exarandi Apostolo data, facilis ad intelligendum est, quam ipse indicat.

\* *Confido autem, inquit, in Domino, me quoque cito venturum ad vos, sed necessarium*

I 4

duxâ

\* Cap. II, 24. 25. 26. 27. 28.

duxi, Epaphroditum fratrem & adiutorem ac  
 commilitonem meum, vestrum autem legatum,  
 quique mihi subministravit, quibus mihi opus  
 erat, ad vos mittere. Quoniam expetebat o-  
 mnes vos & gravissime angebatur, propterea,  
 quod audissetis eum infirmum fuisse. Et certe  
 infirmus fuit proxime mortem: sed Deus miser-  
 tus est eius, nec eius solum sed & mei, ne tristiti-  
 am haberem super tristitiam. Eo studiosius ita-  
 que ipsum misi, ut eo rursus viso gaudeatis, &  
 ego eo minus doleam, cætera. Ex quibus ver-  
 bis intelligitur, Epaphroditi desiderium ad  
 Philippenses remigrandi, præstitis illo-  
 rum vice Paulo officii, huic epistolæ scri-  
 bendæ occasionem dedisse: unde Apostolus  
 necessarium duxit, ad Philippenses simul  
 scribere ipsisque Epaphroditum fide-  
 lissime commendare. Neque vero hic  
 scopus Epistolæ unicus est, sed Apostolus  
 hac occasione ita quoque vitur, ut ea Philip-  
 pensibus scribat, quæ pro rerum suarum statu  
 quam maxime necessaria erant: nimirum (1)  
 ut de sua eorum recordatione &  
 precibus certiores eos reddat; (2) ut,  
 quomodo suæ ipsius res in præsentia  
 se habeant, iis narret; (3) ut tam de  
 mox mittendo Timotheo quam sua  
 ad eos profectioe spem faciat; (4)  
 ut ad certamen pro fide euangelii &  
 ad veram caritatem, concordiam, &



& humilitatem ipsos excitet; (5) vt aduersus falsos Apostolos præmuniat & simul in puro salutaris doctrinæ fundamento corroboret; (6) vt cum in vniuersum omnes tum præcipue eos, qui maximi in ecclesia momenti erant, de peculiari ipsorum officio moneat & ad sanctam Deoque gratam vitam inflamet; (7) vt Philippensibus pro acceptis beneficiis gratias agat. Ex his videre est, Epistolam ad Philippenses inter eas esse referendam, in quibus non de vna duntaxat re agere Apostolus animum induxerit, adeoque illius scopum ex diuersis iisque singularibus partibus cognosci debere: quemadmodum doctrinæ, redargutiones, præmonitiones, & consolationes in ea reperiuntur. Totius tamen scopi summa his paucis comprehendi posset: vt Apostolus post eius, qui epistolam exhibeat, nimirum Epaphroditi, commendationem Philippenses suæ ipsius fortis causæ soletur; & facta aduentus sui spe aliisque argumentis mouentibus ad constantiam, ad pacem mutuam, ad gaudium in DOMINO & in genere ad veram pietatem excitet,

citet, ab omni periculo tum in doctrina tum vitæ ratione dehortetur, & ipsorum beneficentiam grato se animo recolere, profiteatur. Hic igitur scopus si recte obseruetur, eo valet: vt totum Apostoli sensum, inprimis autem flagrantissimum eius in Philippenses amorem & ingentem de ipsorum statu sollicitudinem multo accuratius propiusque inspiciamus; (2) vt multo facilius totius epistolæ & diuersorum momentorum, de quibus agit Apostolus, connexionem videamus. Ita, exempligratia, facile cognoscemus, capitis I. comma 25. & 26. connecti debere cum capitis II. commate 17. & sic totius orationis sensum sibi optime constare; reliqua autem a commate 27 capitis I. ad capitis II. comma 16. ab Apostolo, tamquam adhortationem ad certamen pro fide euangelii in humilitate & caritate certandum, esse interiecta.

### §. XIII.

#### *Scopus Epistolæ ad Colossenses,*

In Epistola ad Colossenses hunc sibi scopum præfixum habet Apostolus, vt pro muneris sui Apostolici ratione \* *Colossenses*, fido Epaphræ ministerio ad  
Chri-

\* Cap. I., 23--29.

Christum perductos, tam in puriore fidei doctrina, quam religiosa, ex fide oriunda, viuendi ratione roboret, atque confirmet \*. Deinde vt subrepentibus & forte iam magis magisque inualefcentibus erroribus eorum, qui a falsis Apostolis seruili legis iugo se subiici patiebantur, in tempore occurrat, & tum impendens tum præfens deceptionis periculum omne ab ipsis diligentissime depellat, nec minus carnali securitati, qua fidei naufragium facere poterant, quoad fieri possit, anteuertat. Nam ex totius Epistolæ coherentia liquido constat, quod nullam aliam ob causam tanto studio Colossenses in pura fidei doctrina confirmare adlaboret Apostolus, quam quod Colossenses ipsum de facie non viderant, adeoque tanto facilius a falsis Apostolis induci poterant, vt noxiis eorum opinionibus temere adfentirent: quippe quem scopum Apostolus ipse verbis clarissimis indicat, \*\* *Hoc autem, inquit, ideo dico, vt ne quis vos falso ratiocinando fallat, sermonis probabilitate.* Vnde facile intelligimus, Apostolum in hac Epistola eandem ipsam denuo attingere controuersiam, quæ istis temporibus præcipua fuit, cuius in explicatione scopi epistolæ ad Romanos, Galatas

\* confer sis cap. II, 1. 2. 5. 6. 7. cum cap. I, 7. - 12.

\*\* Cap. II, 4.

latas & Ephesios mentio a nobis iniecta est. Et quidem non sine singulari Dei prouidentia factum est, vt Gentium Apostolus de hac quaestione, ad Iustificationem hominis peccatoris coram Deo verumque legis & euangelii vsum attinente, tot egregias Epistolas reliquerit: quandoquidem hæc quaestio ita ad salutis fundamentum spectat, vt reliquæ quaestiones omnes in eam quasi influant, ex eaque debeant diiudicari. Digna igitur huius scopi modo memorati observatio hunc vsum nobis præstat, (1) vt hanc epistolam ad Colossenses tanto pluris faciamus, quod verum Christianismi fundamentum, immo totum illius ordinem & arctissimam omnium præcipuarum eius partium connexionem tam bene tamque concinne complectatur, vt non tantum recens conuersi haud meliorem in accepta doctrina confirmationem sibi optare possint; sed vt bene etiam exercitari & varii generis tentationibus eruditi christiani cum magna voluptate & animi delectatione hanc christianæ doctrinæ ichnographiam sint investigaturi, in eaque tamquam expresso doctrinæ Apostolicæ typo acquieturi: præsertim cum Apostoli in hac Epistola præcipua sit intentio, vt recens conuersis genuinum doctrinæ suæ Apostolicæ fundamentum insinuet, quo sciant, hanc esse veram gratiam  
Dei,

Dei, in qua stent; (2) vt in Epistola ipsa discrimen videamus ac internoscamus, cum de Iudæis loquatur (vt c. I. 13. &c.) quemadmodum id in Epistola ad Ephesios adnotauimus, qua cum huius Epistolæ maxima est conuenientia, & altera ex altera commodissime explicari potest.

## §. XIV.

*Scopus Epistolæ prioris ad Thessalonicenses.*

In priore ad Thessalonicenses Epistola Apostoli scopus clare patet ex cap. II, 17. 18. cap. III, 1. 2. 3. 5. 6. 8. Hic enim Paulus indicat, studuisse se videre Thessalonicensium faciem cum multo desiderio & voluisse ad eos venire; impeditum autem misisse Timotheum ad ipsos stabiliendos, ne ob impendentes afflictiones de fide & amore in Deum se deiici paterentur; a quo postea de ipsorum constantia lætum nuntium accepisset. Has igitur circumstantias historicas si cum reliquis Epistolæ verbis contulerimus, totius Epistolæ scopum facile perspiciemus haud esse alium, quam vt Thessalonicensibus tenerrimum, quo ipsos prosequatur, amorem maximamque de ipsorum fide, caritate ac patientia lætitiã declaret; ad  
animi

animi firmitudinem amplius tuendam ipsos excitet ac inflammet; in afflictionibus soletur; & simul de necessariis partibus, inprimis vero de aduentu DOMINI, de fraterna caritate atque humilitate cum inter se mutuo tum vero maxime erga doctores excolenda, pro eo ac par est, erudiat. Ex hoc igitur scopo ac intentione Apostoli propius inspecta (1) hunc fructum percipiemus, vt (quemadmodum ex aliis huius Apostoli epistolis & cum primis ex hac ipsa intelligitur) scopum & intentionem Apostoli non externe tantum contueamur, sed potius ex intima animi Apostoli adfectione metiamur: vt in hoc ipso sanctos divini Spiritus motus, ardentissimam ipsius caritatem, gaudium vel tristitiam, desiderium, magnam in muneri sui Apostolici administratione dexteritatem & purioris cognitionis Iesu Christi amorem conspiciamus, vtpote quibus ad scribendum inductus atque impulsus fuit. In Corinthiis, ad hoc ipsum in Pauli epistola animos recte attendentibus, egregius effectus a Paulo obseruabatur, vt scriberet\*. *Ecce istud ipsum, quod*

\* 2 Cor, VII, II.

quod secundum Deum contristati fuisset, quantum in vobis effecit studium? immo defensionem, immo indignationem, immo timorem, immo vehementem desiderium, immo zelum, immo vindicationem? Adeoque dubium non est, si in omnibus epistolis sancti Apostoli scopum non externe tantum sed potius veluti in animo Apostoli intueremur, fore, ut ex omnibus eius verbis fructum caperemus multo verberiorum atque copiosiorum. (2) Non inutile est cognoscere, Apostolum ad diversam eorum, ad quos scripsit, rationem scopum ac intentionem suam formasse: unde non obscure ipsius sapientia elucet. Et quemadmodum Thessalonicenses cum primis pulcherrimum fidei & veritatis in Iesu exemplum fuerunt, ita tenerimos amoris adfectus in Apostolo, nec non sanctissimum gaudium de gratia Dei in Thessalonicensibus conspicitur.

## §. XV.

*Scopus Epistola posterioris ad Thessalonicenses.*

In posteriore ad Thessalonicenses epistola primarius Apostoli scopus sine dubio est, ut de adventu Domini nostri Iesu Christi ampliore explicationem subministraret, nonnullis priorem epistolam aliter, ac ipsius

us

us Apostoli sententia ferebat, interpretatis; quomodo ex Cap. II, liquido constat, alienam hanc verborum Apostoli acceptionem potiore huic epistolæ conscribendæ occasionem dedisse; quamquam Apostolus simul necessarium duxit, Thessalonicenses in durantibus vexationibus solari, se suasque res precibus ipsorum commendare, eosque, qui inter ipsos inordinate viuere & otiari cœperant, reprehendere. Huius scopi obseruatio nos docet (1) diuinam veritatem, vtv clarissime propositam, facile in peregrinum sensum rapi posse; tali autem in casu doctoris esse, perspicua verborum suorum explicacione infirmioribus succurrere, alienam autem interpretationem, quantum fieri possit, tollere. (2) In optimo etiam ecclesiæ statu & medias inter afflictiones facile rerum confusionem suboriri posse; doctorem autem circa hæc omni debere vti sapientia, vt prouidenter præcaueat, ne istiusmodi res inordinatæ inualescant, & vt malos a bonis probe distinguat, hosque ab illorum consortio se cauere, doceat, istos autem emendare, non exacerbare, adlaboret.



## §. XVI.

*Scopus primæ Epistolæ ad Timotheum.*

In prima Pauli ad Timotheum Epistola scopus & intentio quam clarissime indicatur, quando Apostolus c. III. 14. 15. *Hæc tibi, inquit, scribo, sperans fore, ut mox ad te veniam: quod si tardauero, ut noris, quomodo oporteat in domo Dei versari, quæ est ecclesia Dei viui.* Hic scopus etiam ex collatione commatum 3. 4. 5. 6. 7. cap. I. cum comm. 18. & 19. eiusdem capituli, cognoscitur, quæ secundum textum Græcum clarissime ita cohærent: *Sicut te sum precatus, ut maneres Ephesi, quum proficiscerer in Macedoniam, ut denunties quibusdam, ne diuersam doctrinam doceant, nec attendant animum fabulis, & genealogiis numquam finiendis, quæ potius questiones præbent, quam adificationem Dei, quæ est per fidem. Finis autem mandati (abs te aliis inculcandi) est caritas ex mundo corde, & conscientia bona & fide minime simulata: a quibus nonnulli ut a scopo aberrantes diuerterunt ad vaniloquentiam. Hoc mandatum (aliis abs te inculcandum) commendo tibi, fili Timothee, nempe ut, secundum prægressas de te prophetias, milites per eas bonam illam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam: quæ expulsa nonnulli naufragium fidei fecerunt.* Reliqua verba a commate 8. ad comm. 17. a Paulo tamquam sententiæ suæ Apostolicæ ad-

Franck. Scopus N. T.                      K                      versus

versus legis doctores declarationem summam exhibentia, inferuntur, & parenthesi commode includi possunt. Scopus igitur Apostoli non est alius, nisi quem LUTHERVS in præfatione huius epistolæ exprimit, ita scribens: *Hanc epistolam scribit S. Paulus, ut omnibus episcopis proponat exemplum, qualis doctrina eorum, & quis gubernandi diversos ecclesiæ ordines modus esse debeat, ne sit opus, humano arbitrio ecclesiæ ciues gubernare.* Nimirum hæc epistola vere diuina ordinatio ecclesiastica est, quam sancto Deus consilio inter Noui Testamenti libros referri iussit, ut ad eam, tamquam regulam, omnes humanæ constitutiones ecclesiasticæ concinnarentur, & vtrum bonæ vel malæ sint, examinarentur atque diiudicarentur. Ex diligenti huius scopi notatione (1) hæc magna & singularis redundat utilitas, ut tam doctores & ministri ecclesiæ ipsi, quam Deo in isthoc munere olim seruire gestientes, eo diligentius hanc epistolam ob oculos sibi propositam habituri, in eaque tamquam speculo sese contemplaturi sint, an ex omnibus partibus ad illam diuinam ordinationem officio suo fungantur, vel aliquando fungi cogitent? Et sane hæc

hæc epistola verum sapientiæ thesaurum continet, cum in tanta verborum simplicitate, vt quidem humanæ rationi initio videtur, tam alta rerum opulencia recondita sit, vt verbi diuini minister ex cotidiana & multa experientia magnitudinem spiritus & intelligentiæ sublimitatem recte demum animaduversurus, & nihilo secius semper ibi deprehensus sit, quod addiscat. (2) Eo etiam scopus recte obseruatus valet, vt sapientiam singulare Dei donum esse cognoscamus: quo submisse de nobis sentiamus, & quamlibet fide & caritate imbuti Deo & aliis hominibus probos & ingenuos nos præstemus, nihilo tamen minus ab aliis, præsertim nobis exercitioribus, discere cupiamus, vt maiore semper sapientia negotium DOMINI administremus. (3) Omnes etiam & singuli, ministerio ecclesiastico non destinati, ex huius scopi notatione hunc vsum percipiant, necesse est, vt ministerii ecclesiastici grauitatem agnoscere, veros Dei seruos a mercenariis & gulæ ventrique seruientibus, nec non purum limpidumque Dei verbum a doctrinis humanis variique generis fabulis distinguere, & vti membra ecclesiæ ad voluntatem Dei ordinate sese gerere condiscant: si quidem in hac epistola veras tabulas æconomicas,

omnibus ecclesiæ ordinibus adcommodatas, deprehendimus.

§. XVII.

*Scopus secundæ Epistolæ ad Timotheum.*

In secunda epistola ad Timotheum sancti Apostoli scopus præcipue manifestus est ex cap IV, 5. 6. 7. 8. vbi, *At tu, inquit, vigila in omnibus, tolerans esto afflictionum, opus perage Euangelistæ, ministerii tui plenam fidem facito. Nam ego iam labor, & præstitutum tempus meæ dimissionis instat. Certamen illud præclarum certavi, cursum perégi, fidem seruaui. Quod reliquum est, reposita est mihi iustitiæ corona, cætera. Vnde hæc omnium Pauli epistolarum vltima eiusque quasi testamentum esse facile intelligitur, quippe quam in vltimis vinculis suis (quorum Cap. I, 8. & Cap. II, 19. meminit) paullo ante acceptam martyrii palmam exarauit, quo satis manifeste in locis adductis respicit. Vnde Timotheum quoque Cap. IV, 9. hortatur, vt *studeat mox ad se venire, nec comm. 18. alium liberationis modum ab omni malo expectat, quam quod Dominus ipsum ereptum seruaturus sit regno suo caelesti, qua de re Deum ex animo celebrat. Ita quoque in tota hac epistola scopus ipsius est, vt Timotheo addat animum, ipsumque in omnibus corroboret, vt munere suo**

fuo fideliter perfungatur, expref-  
fam formam fanæ doctrinæ firmi-  
ter ac incorrupte teneat, omnes ad-  
flictiones huius temporis præfenti  
animo toleret, & poft ipfius difces-  
fum fidum doctoris atque antecessor-  
ris fui fuccefforem fe fe præbeat.  
Quicumque hæc recte obferuauerit, is hanc  
epiftolam, veluti cygneam Apoftoli  
cantonem, in tanto maiore habe-  
bit pretio. Perpendet enim fecum, hanc  
epiftolam a Paulo iam fene & tam multis  
tamque variis experimentis erudito fcriptam  
effe, & quidem non ad tenellum in Chrifto  
infantem, fed ad valde fidum & exercitatum  
Dei feruum, eo tempore, vbi Paulus curfu  
peractò animum paratum habuit ad coronam  
vitæ ex Saluatoris fui manu accipiendam, fi-  
mul autem Spiritu Dei colluftratus præuidit,  
fe mortuo tempora peffima inftare, contra  
quæ iam ipfi Timotheo ex parte militandum  
foret. Quapropter in hac epiftola Apoftoli  
animus, ad mortem pro confessione Chrifti  
fubeundam promtiffimus, fides heroica &  
profunda fapientia confpicua eft, idque ex-  
ercitatiffimos ac confirmatiffimos in difci-  
plina Chrifti excitare poteft, vt in maxima  
fimplicitate diuinam efficaciam & fincerita-  
tem cognofcant, fuper ea Deum laudent,

qui talem hominibus gratiam dederit, eamque ad mortem vsque sectentur.

§. XVIII.

*Scopus Epistolæ ad Titum.*

In epistola ad Titum scopus Apostoli ex primo statim capite manifestus est, quando comm. 5. *Huius rei gratia*, inquit, *dereliqui te in Creta, ut quæ desunt corrigas & constituas oppidatim presbyteros, sicut ego tibi ordinavi.* Quæ verba si cum reliquis huius epistolæ contulerimus, facile videmus, scopum huius epistolæ scopo supra in prima ad Timotheum indicato accurrate conuenire. Nam & hæc epistola breuis aliqua constitutio ecclesiastica est, quam Tito iisdem fere, quibus illam Timotheo, verbis subministravit, ut eo melius omnia sciret corrigere aut bene constituere, quæ a Paulo relicta fuerant. Cum primis autem notandum, quod istam ordinationem ecclesiasticam ad peculiare Cretensium circumstantias accommodet, mandando exempli gratia, ut in constituendis senioribus seu ecclesiæ ministris de eo maxime sit sollicitus, ut tales cæteribus præficiat, qui non tantum doctrina & vita inculpati sint, sed etiam contradicentes refellere valeant; *Sunt enim*, addit, *multi subitici nescii & vaniloqui & mentium seductores*

res

res, maxime qui sunt ex circumcissione, quibus oportet os obturare, qui totas domos subuertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia.

Cap. I, 10. II. LUTHERVS in præfatione Breuis, inquit, est hæc epistola, sed selectissima veræ religionis epitome, qua artificiosissime comprehenduntur plerumque, quæ Christianum hominem, ad vitam recte instituendam, scire necesse est. Quisquis igitur ad huius etiam epistolæ scopum recte attenderit, is inde (1) hanc percipiet vtilitatem, vt hanc epistolam eo diligentius cum priore ad Timotheum conferat adeoque alteram ex altera magis magisque intelligere discat. (2) Vt hinc cognoscat, quod christiana quidem disciplina & rectus ordo in ecclesia vbique & omni tempore custodiri, pro singularibus autem cœtus cuiusdam oppidi vel totius etiam regionis circumstantiis sæpius rei alicuius maior ratio heic quam illic haberi debeat. (3) Ex huius etiam scopi accurata notatione quilibet eo magis incitabitur, vt in hac epistola verum compendium & nucleum quasi doctrinæ Apostolicæ quærat, quem & certissime inibi deprehendet.

## §. XIX.

*Scopus Epistolæ ad Philemonem.*

**In Epistola ad Philemonem** scopus cognoscitur ex comm. 10. 11. 12. vbi Apostolus: *Precor autem, inquit, pro filio meo, quem genui in vinculis meis, Onesimo; quondam tibi inutilli nunc vero tibi & mihi perutili. Quem remisi: tu autem eum, id est viscera mea, excipe.* Egregie hanc epistolam perspexit LUTHERVS in præfatione, quæ digna est, quam totam huc transcribamus. Hæc epistola proponit iucundissimum & expressissimum dilectionis Christianæ exemplum. Videre enim est in ea, quomodo S. Paulus Onesimi calamitatibus adficiatur, cumque apud dominum omni studio ac conatu defendat, seseque non gerat aliter, ac si ipse sit Onesimus, qui deliquerit. Nec tamen hoc facit per vim aut coactionem, quemadmodum quidem iure poterat: Sed cedit aliquantulum de suo iure, ut ita Philemonem quoque ius suum relinquere cogat. Perinde enim ut Christus apud æternum patrem intercessit pro nobis: ita S. Paulus pro Onesimo intercedit apud Philemonem. Nam Christus de suo quoque cedens iure sua dilectione & sui humiliatione vicit et permouit patrem, ut iram ac omne ius suum deponeret, & nos in gratiam reciperet propter Christum, qui adeo serio pro nobis intercedit, & nostri curam agit fidelissimam. Omnes enim sumus ipsi Onesimi loco, modo firmiter



*miter illud credamus.* Scopus igitur in hac epistola non est alius, quam ut Apostolus Onesimum domino suo, cui antea minus bene & fideliter ser- vierat, suo iam ministerio ad bonam frugem reuocatum, de nouo commendet: quam epistolam & ipse Onesimus ad Philemonem, dominum suum, Colossas pertulit. Hunc igitur scopum recte obseruantibus & simul considerantibus, qua spiritus & amoris plenitudine Apostolus in hoc, ad speciem minus arduo, negotio Philemoni scripserit, multum certe prodesse potest, non tantum ad meditationem, e LV- THERO supra adlatam, instituendam, sed ut in genere ex istiusmodi exemplo discant, res etiam externas, ab hominibus christianis peragi solitas, de fide, caritate, humilitate aliisque sanctis virtutibus, quibus interne ornati sunt, testari debere, neque existimandum, quod res eiusmodi externæ nihil cum fide & christianismo commercii habeant: uti certe facile ad intelligendum est, quantum hæ Pauli litteræ commendatitiæ ab eiusdem generis epistolis, apud CICERONEM aliosque obuiis, distent.

## §. XX.

*Paulum esse auctorem Epistolæ ad Hebræos.*

Epistolam ad Hebræos reliquis Pau-

K 5

li

li epistolis merito adiungimus, quod eam, etsi ab aliis *Barnabe*, ab aliis *Clementi Romano*, ab aliis alii cuidam adsignari, nouimus, a Paulo scriptam esse, maxime probabile sit: qua de re D. SEBASTIANVS SCHMIDIVS in dedicatione Commentario in hanc epistolam suo præmissa. & deinde in Prolegomenis adhuc fufius agit, p. 4. argumenta, quibus Epistolam hanc ad Hebræos a Paulo exaritam esse, euincit, breuiter ita constringens. (1) Paulum ad Hebræos scripsisse testantur clare verba Petri 2 Epist. c. III, 15. 16. *Quemadmodum & dilectus noster frater Paulus, iuxta ipsi datam sapientiam, scripsit vobis, quemadmodum & in omnibus epistolis, loquens in iis de his, inter que sunt quedam intellectu difficilia, que indocti & instabiles detorquent. Ex quibus Petri verbis D. GERHARDVS Proleg. post PISCATOREM, quatuor sumit argumenta (1) Aut Pauli epistola ad Hebræos interit, aut hæc est, quam sub manibus habemus. Atqui non est probabile, Epistolam, que ab alio Apostolo, quam a quo scripta & cum reliquis Canonicis citata est, interisse. (2) Inter Petrinæ & Paulinæ ad Hebræos egregia harmonia est. Atqui illa in hac, quam in manibus habemus, perspicue adparet. (Vid. Harmonia a PISCATORE maxime instituta Proleg. in h. Ep.) (3) Petrus ait, Paulum pro sua sapientia h. e. sapienter, si vsquam, scripsisse. Atqui Spiritus sapientiæ per totam hanc epistolam elucescit. (4) In*

(4) In Paulina ad Hebræos fuerunt quedam difficilia intellectu. Atqui de nostra id est verissimum. Addere poterimus (5) quod Petrus Apostolus significet, in Paulina ad Hebræos ab indoctis & instabilibus quedam detorta fuisse & propterea epistolam in dubium vocatam. Id quod reuera huic Epistole primis temporibus contigit.

2. Auctor huius Epistolæ fuit Timotheo coniunctissimus cap. XIII, 23. Adde non coniunctissimus tantum, sed etiam auctoritatem quodammodo præcipiendi erga eum habens. Hinc scribit; Cum quo, si citius venerit, videbo vos; nec addit, si placuerit illi, tamquam qui ex auctoritate iubeat eum una ire.

3. Idem meminit vinculorum suorum; quod Paulo solemne, immo peculiare est. Neque enim de ullo Canonico Auctore simile quid legimus.

4. Doctrina huius epistolæ est alias etiam Pauli. (Conf. D. GERHARDI & PISCATORIS Prolegomena.)

5. Habet hæc Epistola clausulam Paulo solemnem, (Conf. 2 Thess. III, 17. cum cap. XIII, 25.)

6. Habet & methodum Paulinam a mysterio salutis ad exhortationes de studio pietatis.

7. Maxima pars Veterum Doctorum Epistolam hanc Paulo tribuit, (ut supra vidimus) & testatur BEZA in adnotationibus, in omnibus inscriptionibus, excepta una, inuentum a se fuisse nomen Pauli. Et notatu sane digna sunt verba ATHANASII dialog. I. de S. Trinit. Ex quo adnuntiatur est Euangelium Christi, hanc epistolam Pauli esse, creditum est. Hactenus SCHMIDIVS. Quod igitur ad

sco-

scopum huius Epistolæ attinet, ex historicis circumstantiis, in hac Epistola passim indicatis, facile is cognosci potest. Ex his enim intelligimus, ex Hebræis seu Judæis multos quidem ad Christum conuersos & in doctrina Apostolica studiose institutos, veritati autem, partim propter Iudaicam educationem, partim propter afflictiones & vexationes, euangelii causa obortas, & consanguineorum suorum, Iudæorum videlicet adhuc ἀπίστων, repugnantiam non fideliter obsecutos fuisse, sed vel in verbo iustitiæ rudes mansisse, vel adeo etiam ad Iudaismum relapsos abiecta bona conscientia fidei naufragium fecisse. Vnde adparet, non esse in hac epistola scopum, vt prima doctrinæ Christianæ fundamenta iaciantur, sed vt Hebræi inconstantes corroborentur & excitentur, indociles autem vberius clariusque instituantur, infirmi & ad defectiōnem proni sapientia & auctoritate Apostolica in viam reuocati seruentur. Hunc genuinum Epistolæ ad Hebræos scopum esse, perspicue intelliges, si recte consideraueris Cap. I, 1. Cap. II, 1. 3. 4. Cap. III, 1. 6. 14. Cap. V, 12. sqq. Cap. VI, 9. sqq. Cap. X, 24. 25. 32. sqq. item comm. 35. Cap. XII, 4. 5. 12. 13. Hic scopus rite obseruatus eo facit, (1) vt eo melius co-  
gno-

gnoscamus, huius Epistolæ argumen-  
tum per vniuersam doctrinam Christi-  
anā sese quasi diffundere, in eaque  
Hebræos argumentis maxime stringentibus  
optime stabiliri; quapropter hæc ipsa Episto-  
la ad solidam præcipuorum doctrinæ Christi-  
anæ Caputum probationem eo feliciter adhiberi  
poterit. (2) Ex hoc potissimum scopo disci-  
mus, hanc epistolam nos optime instruere  
posse, quemadmodum ex Veteri Te-  
stamento doctrinæ Christianæ proba-  
tionem contra Iudæos depromere  
debeamus: quomodo sane hæc Episto-  
la omnium optima Leuitici inter-  
pretatio est, quid? quod facillimam  
tutissimamque ad libros Veteris Te-  
stamenti recte explicandas viam no-  
bis commonstrat. In illa enim quam  
plurima nobis exempla ob oculos posita sunt,  
quanto cum studio Veteris Testamenti dicta,  
ad demonstrandum præcipue Domini nostri  
Iesu Christi officium & Personam, ad legen-  
tur, exponantur, adplicentur, aliisque cum  
Sacra Scripturæ dictis conferantur. (3) Hunc  
scopum necesse etiam est cognoscimus,  
si admirabilem huius Epistolæ ordi-  
nem seriemque recte intelligere vo-  
luerimus. Ex hoc ipso, exempli caus-  
sa, facile colligimus, a commate II, cap. V.  
ad

ad finem vsque cap. VI. parenthesin faciendam, quod Apostolus illud, quod comm. 10. Cap. V. cæperat, Christum videlicet esse Pontificem secundum ordinem Melchisedeci, comm. 1. cap. VII. demonstrare demum pergat. Hoc enim non obseruato, totus Epistolæ ordo turberetur, necesse est: id quod non a paucis interpretibus huius Epistolæ, ad scopum minus recte attendentibus, factum est.

### §. XXI.

*Epistola reliquorum Apostolorum earumque  
Scopus in genere.*

Antequam Scopum in reliquis etiam Epistolis Perri, Ioannis, Iacobi & Iudæ, & cuiuslibet quidem separatim, indicemus, digna sunt, quæ prius notentur, venerandi D. MARTINI CHEMNITII monita, quæ in LL. Theol. hac de re passim occurrunt. Exempli causa p. 238. edit. Witteberg. cl. b. c. x. Notandum est, inquit, quod primo tempore predicationis Apostolorum opponebantur disputationes de disciplina Legis, sed cum hac ratione non posset præpediri cursus Euangelii, Diabolus Epicureismum excitauit in Ecclesia. Et hinc reperitur talis differentia in scriptis Apostolorum: quod priores Epistolæ contra persuasionem de iustitia Legis pugnant; posteriores vero urgent fructus penitentiæ & refutant Epicureas opiniones de licentia vitæ. Notanter etiam de hac obser-

obſervatione & quibusdam antegreſſis ſubiungit: *Hæ obſervationes continent imaginem & ſimilitudinem certaminum omnium temporum.* Et pag. 253. hæc habet: *Dignum eſt obſervatione, Petrum & Ioannem in ſuis ſcriptis, etiam quando meliani hanc doctrinam, (iuſtificationis;) tamen non uſurpare vocabulum Iuſtificationis. Et fecerunt hoc ſine dubio non ideo, quod improbent formam verborum Pauli; ſed quia videbant, quosdam, non adſuetos Hebraiſmis, perturbari vocabulo Iuſtificationis, quosdam etiam callide illud depruare. Eandem igitur doctrinam per alia ſynonyma magis nota repetiuerunt, ut ipſa collatione monſtrarent veram ſignificationem in diſputatione Pauli. Et Deus ſine dubio Ioanni ideo conceſſit vitam longiorem, ut, ſi quid animaduerteter minus recte intelligi, ipſe Eccleſiæ relinqueret certam explanationem.* Hanc obſervationem aliasque ſimiles B. CHEMNITIVS alibi etiam ſubminiſtrat. Ut autem mentem ipſius eo melius perſpiciamus, eo, ut ſummatim dicam, illa redit, primo tempore prædicationis Euangelii pleraſque diſceptationes inde ſubortas eſſe, quod qui ex Iudæis in Chriſti diſciplinam conceſſerant, iuſtitiam ex operibus ſectabantur, gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti pro vnico & vero ſalutis fundamento non fideliter ponentes; Paulum igitur contra hanc corruptelam fortiter militaſſe, & epiſtolis huic ſcopo adcommoſatis potenter demonſtraſſe

strasse, hominem fide iustificari sine operibus Legis: Satanam autem, hac nocendi via ipsi obstructa, mox alia profus ratione tentando effecisse, vt homines Christi gratiam ad lasciuiam transferre & mere humanam persuasionem pro vera & saluifica fide venditare inceperint; hinc reliquos Apostolos, Petrum, Joannem, Iacobum & Iudam epistolas suas ita concinnasse, vt horribilem istam corruptionem latius serpentem, qua homines, proteruitatem & libidines suas nihil morati, de fide Christiana gloriabantur, reprimerent: cuius discriminis gratia tam diuersas phrasas vsurpari ab Apostolis, in fundamento doctrinae nihilo fecius inter se consentientibus, & diuersae tantum hominum conditioni & tempori sese accommodantibus. Ex his igitur obseruationibus reliquarum epistolarum scopus & intentio in genere cognosci potest. Talis autem scopi notatio, obseruante ipso CHEMNITIO, hanc insignem vtilitatem parit, vt in iis tamquam imagine quadam & similitudine omnium certaminum, quae seculis temporibus existere, rationem & indolem possimus conspiciari. Vt alia nunc taceam, certe LVTHERI tempore doctrina de meritis bonorum operum in Papatu summo opere vrgebatur, adeoque in reformanda Ecclesia eo maxime contendendum erat, vt, quemadmodum olim doctrina Pauli erroneae Iudaeorum opiniones, ita nunc metho-  
do



do Paulina variæ aberrationes in Papatu sufflaminarentur & supprimerentur. Idcirco homines a mere externa operum iustitia semper auocandi & de iustitia fidei erudiendi erant. Adeoque non erat inepta & absurda ratio, qua istius temporis doctores in concionibus suis id ante omnia vrgebant, non esse operibus suis confidendum, bona opera per se nihil ad iustitiam & salutem conferre, cætera; tamen negari nequeat, eo iam tempore hanc doctrinam a multis admodum imprudenter tractatam fuisse, vt inde non nisi vacua, inefficax & imaginaria fides in auditorum animis produci protuerit. Id quod non tantum ex *Antinomorum* exemplo, sed e publica etiam VRBANI REGII querimonia, quam de hac incauta docendi ratione in *libro suo de formulis caute loquendi* habet, manifestum est. Vnde cordati Theologi isto iam tempore peruersæ huic docendi methodo eadem fere ratione occurrere necessum habuerunt, qua Iacobus, Iudas & reliqui Apostoli errorem coarguerunt eorum, qui doctrina de Iustificatione per fidem abusi sunt eamque ad libidinem transfudere; sicut & ipse LVTHERVS istum doctrinæ suæ abusum in scriptis suis passim satis duriter reprehendit. Attamen fatendum est, postea præsertim hunc errorem sædæ pestis instar in Ecclesiam Euangelicam longe lateque irrepsisse, vt multi non solum auditores verum etiam doctores LVTHERI

*Franck, Scopus N. T.*                      L                      doctri-

doctrina ita sint abusi, vt pœnitentiam & veræ saluificæque fidei fructus, castam videlicet, iustam ac sanctam vitam non, quantum satis erat, inculcarint. Quæ corruptio etsi nunc quidem adeo inualuit, vt homines proh dolor! de bonorum operum exercitio minus iusto solliciti, & pristini Pontifici erroris loco, quod salus æterna operibus obtineri debeat, ad alterum extremum prolapsi sint, vt oblatam gratiam ad lasciuiam transferentes & vana spe salutis per Christi meritum consequendæ delusi in vita Epicurea sese obfirment: tantum tamen abest, vt permulti diuersam temporum & auditorum rationem internoscere didicerint, vt de suggestu potius vehementer vociferentur, non esse salutem æternam bonis operibus acquirendam, nemine quàmuis ex præsentibus auditoribus bona opera facere, multo minus iisdem aliquid mereri discupiente. Quod si autem ad supra memoratam D. CHEMNITII obseruationem de Epistolarum Pauli & reliquorum Apostolorum scopo animum recte atenderemus, atque ita exemplum a Deo ipso nobis in verbo suo propositum imitari studeamus, certe veram inde sapientiam acquisituri essemus ad hominum statum nosmet accommodandi iisque luculenter demonstrandi, non esse veram fidem, quæ bonis fructibus destituatur, nec sine pœnitentia fidem existere posse; similiter, bona opera ne-

quaquam improbari, sed tantum Iustificatio-  
nem hominis peccatoris coram Deo iis ab-  
iudicari, carerum neminem hominis Chri-  
stiani nomine dignum esse, qui in studio Do-  
minum nostrum Iesum Christum imitandi  
non diligenter versetur: similiter, inter  
nostræ ætatis homines subtilem quemdam  
Papatum regnare, vt multi, licet fateantur  
atque etiam profiteantur & præ se ferant,  
minime sese ex operibus salutem sperare,  
verbo tamen diuino petiti externa sua opera  
& probitatem adlegent, (quod videlicet non  
scortentur, nec furentur, nec latrocinentur,  
sed cultum Dei in templis frequentent, sta-  
tis temporibus peccata sua sacerdoti confite-  
antur & sacra cœna vtantur) adeoque exter-  
nam operum iustitiam Deo offerant & obru-  
dant, cordis sui increduli & irrogeniti nul-  
lam prorsus rationem habentes. **LVTHER-**  
**RVS** ipse in scriptis suis hæc omnia diligen-  
tissime inculcare haud prætermisit; quem-  
admodum nec Paulus mortuam & infructuo-  
sam fidem; sed quæ per caritatem efficax sit,  
fideliter docuit. His autem temporibus eo  
præcipue nobis incumbendum est, vt fini-  
stram doctrinæ **LVTHERI** interpretationem  
& abusum animis nostrorum demamus, eos-  
que ad veram resipiscentiam & sanctitatem in-  
formemus, quemadmodum Petrus, Ioannes,  
Iacobus & Iudas nouam Satanæ fraudem,  
purissimæ alioquin & sanctissimæ doctrinæ

Pauli abusu factam, animaduertentes de hac ipsa re maxime laborarunt. Neque hæc docendi methodus de doctrina LUTHERI magis derogat, quam quidem iis temporibus de Pauli doctrina reliquorum Apostolorum docendi modus derogauit; quandoquidem persuasi sumus, LUTHERVM ipsum, si reuiuisceret, non alium doctrinæ modum adhibiturum esse. Vnusquisque igitur hoc Epistolarum Noui Testamenti scopo probe cognito litteras Apostolorum eo diligentius inter se conferet, ex iisque tanto melius pro nostrorum temporum ratione proficiet: quamquam & hoc facile animaduertet, scopum, de quo CHEMNITIVS meminit, in hac epistola clarius quam illa cognosci, omnium autem maxime in secunda Petri; prima Ioannis, Iacobi & Iudæ esse conspiciuam.

§. XXII.

*Scopus primæ Epistolæ Petri.*

De Scopo & intentione cuiuslibet Epistolæ in specie aliquid addituri ex primæ Petri Epistolæ Cap. I, 1. videmus, eam electis aduenis dispersionis inferiptam, adeoque tamquam consolatoriam & adhortatoriam missam esse. In hac ipsa igitur Apostolus fideles in afflictionibus ac persecutionibus, quibus vexabantur, consolatus

latus est & erexit, eosque tum generatim, tum etiam, prout vnus cuiusque conditio, genus ac prouincia postulabat, de officio commonefecit. Et sane hæc Epistola consolationis ac amoris testificationis plenissima est, in qua cum primis notanda est efficax diuini spiritus operatio, qua cor Apostoli tanta lenitate, mansuetudine, comitate, commiseratione atque misericordia repleuit, vt vel hoc satis testimonium esse possit, quanto pere hominum natura ac indoles sanctificationis beneficio immutetur atque emendetur. Scopii huius obseruatio hunc singularem præbet vsum, vt hac Epistola recte vti discamus: & quidem ante omnia eo, vt præstantissimam & firmissimam consolationem in omnibus vexationibus inde petamus; deinde vero, vt ex eadem efficacissime admoneamur & excitemur, ne in vllis afflictionibus Christiano nostro officio desimus. Præterea ex hac Epistola cognoscimus, quo pacto Apostoli suorum mentes diuino solatio erigere soliti sint, ita nimirum, vt easdem ad cœptum boni rectique studium impigre ac pertinaciter persequendum simul cohortari haud prætermiserint: ne ab altera parte iterum destruerentur,

quæ ab altera ædificauerant ; præsertim cum ea sit hominum corrupta indoles, vt consolatione minus circumspecte adhibita, in securitatem & acediam facile sese abripi patiantur.

§. XXIII.

*Scopus secunda epistola Petri.*

In secunda Petri epistola Scopus Apostoli ex Cap. I, 12. 13. 14. 15. conspicuus est. *Quapropter non negligam, vos de istis semper commonefacere, quamuis peritos & stabilitos in presente veritate. Iustum autem duco, quamdiu sum in hoc tabernaculo, expergefacerem vos per submonitionem. Quum sciam scito futurum, vt deponam tabernaculum meum: sicut Dominus noster Iesus Christus declarauit mihi. Sed & studebo, vt subinde vos possitis post exitum meum horum mentionem facere. Et Cap. III, 1. 2. Hæc iam alteras vobis litteras scribo, dilecti, quibus sinceram mentem vestram per submonitionem expergefacio; vt memores sitis verborum, quæ prædicta sunt a sanctis Prophetis, & præcepti illius nostri, qui sumus Apostoli Domini & Seruatoris. Et com. 17. Vos igitur, dilecti, istorum præscii quum sitis, caute, ne illorum nefariorum errore cum illis abdueli excidatis a propria stabilitate. His ergo verbis cum reliquis epistolæ collatis adparebit, Apostoli scopum esse illum*

lum, vt omnes in vniuersum fideles ante discessum suum quam clarissime instruat, tum quo pacto ipsimet in gratia Dei magis magisque proficere, tum quemadmodum a dolosis spiritibus & deceptoribus, præsertim autem ab derisoribus & secundum carnem adfectis hominibus sibi cauere debeant. Ex huius scopi obseruatione videmus (1) hanc epistolam quodammodo conuenire cum secunda Pauli ad Timotheum, quandoquidem perinde ac ista Apostoli, discessum e vita suum præstolantis, adeoque ultimam voluntatem eo clarioribus grauioribusque verbis declarantis, tabulas testamentarias complectitur. Vnde etiam (2) duo primaria huius Epistolæ momenta eo melius inter se distinguemus, hortationem videlicet ad veri rectique in Christo studium, & admonitionem de vitando omnis seductionis periculo; vti certe Caput primum præcipue prius momentum continet, & Nucleus ac Epitome totius doctrinæ Christianæ iure dici potest, quippe in quo Apostolus vniuersam vitæ Deæ probatæ rationem ac ordinem tam perspicue depingit, vt ad tutam & certam animæ ædi-

ficationem vix quidquam clarius atque vtilius omnibus ac singulis commendari possit.

§. XXIV.

*Scopus Epistolæ primæ Ioannis.*

In prima S. Ioannis Epistola scopus Apostoli perspicuis verbis exprimitur Cap. I, 3. 4. *Quod vidimus & audimus, id adnuntiamus vobis, vt & vos communionem habeatis nobiscum, & communitio nostra sit cum Patre & cum Filio eius Iesu Christo. Et hæc scribimus vobis, vt gaudium vestrum sit plenum.* Similiter Cap. II, 26. *Hæc, inquit, scripsi vobis de iis, qui vos seducunt.* Quæ verba mirificam toti epistolæ lucem præbent, nosque tum ad antecedentia tum consequentia remissos docent, quæ sit Apostoli sententia, cum dicit: *Si dixerimus, cætera Cap. I, 6. 8. 10. Qui dicit, cætera, Cap. II, 4. 6. 9. Si quis diligit mundum, cætera, ibid. com. 15.* Nimirum, reuera tales impostores exstitisse, ita dicentes & gratiam Dei nostri ad libidinem transferentes, quos Antichristos adpellat, qui e Christianis egressi sint, sed non fuerint ex illis Cap. II, 18. 19. eosque fugiendos esse monet Cap. IV, 1. eodemque in Capite certissimos characteres suppeditat, quibus spiritus probari debeant. In summa, ex his omnibus, immo ex singulis epistolæ verbis clarum est & perspicuum, verum & proprium Ioannis scopum non esse alium, quam



quam qui supra B. CHEMNITII verbis a nobis fuit indicatus, nimirum, vt non solum purissimum de gratia Domini nostri IESU Christi Euangelium adnuntiet, sed etiam quam efficacissime doceat, in IESU esse veritatem, & fidem per caritatem efficacem esse oportere, si Christi illiusque gloriæ participes fieri velimus. Quamuis igitur peculiaris huius epistolæ scopus a scopo euangelii aliqua ex parte discrepet, facile tamen ad intelligendum est, epistolam euangelio & euangelium epistolæ multis in locis plurimum lucis suppeditare. Cæterum huius scopi notatio hunc singularem vsum præbet, vt hanc epistolam tamquam veram veri Christianismi delineationem consideremus: & in summa simplicitate summam Dei potentiam ac sapientiam agnoscetes lucem a tenebris eo melius distinguamus.

## §. XXV.

*Scopus secunda Epistola S. Ioannis.*

In secunda Ioannis Epistola idem scopus deprehenditur, vt ad mutua[m] caritatem & veritatem, quæ in Iesu est, cohortetur & omne sedu-

tionis periculum deuitare doceat. Illustri nobis exemplo esse potest, quemadmodum per litteras alios verbis paucis & simplicibus ædificare debeamus: Id quod tanto diligentius notandum est, quod hodie insolens fere ac mirum mundanis hominibus videtur, si quem in epistola stilo, ad mundi vanitatem formato, non vti conspexerint; cum tamen in hac etiam parte Scriptura Sacra exemplar nobis imitandum commonstret, quemadmodum supra quoque in epistola ad Philemonem indicatum est.

### §. XXVI.

#### *Scopus tertiæ epistolæ S. Ioannis.*

In tertia S. Ioannis epistola tres potissimum partes tractantur. Primum enim Gaius nomine hospitalitatis laudatur, deinde de Diotrephe fiunt querimoniæ, tandem Demetrius commendatur. Ex quo argumento strictim indicato scopus Apostoli facile conspicitur, quod hanc epistolam Demetrio, vti non leuis coniectura est, ad Gaium dederit, vt de eo testimonium perhibeat, quod ab ipso tamquam sincerus Christianus suscipi debeat. Vnde occasionem etiam arripuit caritatem & hospitalitatem Gaii laudandi, de Diotrephe autem, qui nulla in fratres hospitalitate  
 uteba-

utebatur, conquerendi. Et idcirco verus ac genuinus Apostoli in hac epistola scopus est, vt Demetrio firmum sinceritatis testimonium tribuat: reliqua enim vsque ad aduentum suum differt. Ex huius igitur scopi digna consideratione hoc vtilitatis redundat (1) vt cognoscamus, Apostolorum ætate litteras syftaticas seu commendatitias in vsu fuisse, quibus eos instruxerunt, qui in Christianæ pietatis studio ita sinceros sese præstiterant, vt sine vlllo seductionis periculo ab aliis Christianis potuerint suscipi; quo ipso Apostoli & primi Christiani in genere multa pericula ac confusiones prouidentes anteuertent, quandoquidem tam studiose sibi cauere, ne cui testimonium darent, cui non ab ipsa veritate testimonium esset redditum. (2) Singularis inde primorum Christianorum virtus discenda est, quæ infectis temporibus cum defessa ac refrigerata caritate simul exoluit atque expirauit, nimirum hospitalitas, quam quidem admodum caute & circumspecte, erga sinceros autem atque probatos amantissime ac liberalissime, exercuerunt.

## §. XXVII.

*Scopus Epistolæ Iacobi.*

In Epistola S. Iacobi scopus B. CHEM-  
NITII

NITII verbis supra indicatus, ubique conspicuus est. Vere enim obiurgatoria & hortatoria est hæc epistola, in qua Apostoli scopus est, vt tepidos frigidisque Christianos, fidem verbis quidem iactantes, & gratia Domini nostri Iesu Christi se se oblectantes, veros autem fructus spiritus non edentes reprehendat, & ad sinceræ pietatis studium in caritate, humilitate, abdicatione sui, patientia, oratione aliisque Christianis virtutibus serio & alacriter collocandum hortetur atque expergeficiat. Hic scopus digne obseruatus, eo facit (1) vt Paulum & Iacobum eo facilius inuicem conciliare & alterum cum altero conferre possimus. Paulo enim res fuit cum iis, qui ex legis operibus iustitiam ac salutem quæritabant; Iacobo autem cum illis, qui fide imaginaria saluari cupiebant, siue, qui fidem mere historicam pro vera & saluifica fide venditabant. Hæc causa est, quam ob rem hi Apostoli adeo diuersis locutionibus vtantur, & primo intuitu sibi inuicem aduersari videantur, cum in fundamento tamen optime concordent, si vtriusque verba & locutiones pro diuerso scopo diiudicentur. Ita vera sunt, quæ Paulus dicit \* *fide iustificari homi-*

\* Rom. III, 28,

*hominem absque operibus Legis, h. e. ut ipse sua verba interpretatur, \* fide per caritatem effice,* quamvis iustitia non operibus sed fidei tribuatur; Nec minus vera sunt, quæ Iacobus dicit, *ex operibus iustificari hominem & non ex fide tantum, h. e. non ea fide, quæ sit sine caritate, qualem multi quidem comminiscuntur, sed tali, quæ efficacitatem suam per bona opera declarat, hominem iustificari.* Iacobus non tollit scripturam, quæ dicit: *Credidit Abrahamus Deo & imputatum est ei ad iustitiam:* admonet autem homines epicureos, quod scriptura simul testetur, *Abrahamum Dei amicum vocatum fuisse,\*\** atque hinc concludit, non esse saluificam fidem in iis, qui se Dei inimicos gerant. (2) Ex hoc scopo discimus, hanc epistolam adprimè aptam esse & conuenientem ad Lutheranorum nostratum statum, qui perierunt de fide & gratia Iesu Christi gloriantur, & nihilominus in falsa ista fidei persuasionem impie scelerateque alia super alia committunt. Vnde etiam ex hac epistola ipsis demonstrari potest, non LUTHERI doctrinam de fide, sed doctrinæ Lutheranae abusum eos sublatum ire, qui sinceram Christianæ pietatis studium vrgent.

## §. XXVIII.

\* Galat. V, 6.

\*\* Cap. II, 23.

## S. XXVIII.

*Scopus epistolæ Iudæ.*

In epistola S. Iudæ scopus Apostoli præcipue ex com. 3. 4. liquet, ubi dicitur: *Dilecti, quum omne studium adhibeam, ut scribam ad vos de communi salute, necesse habui vobis scribere, ad vos hortandos, ut decertetis pro fide, quæ semel tradita est sanctis. Nam, subreperunt quidam homines, iam olim præscripti ad hanc damnationem, impii, qui Dei nostri gratiam transferunt ad lasciuiam, & solum illum horum Deum ac Dominum nostrum Iesum Christum negant.* Itaque nihil manifestius est, nihil clarius, quam Apostoli in hac epistola scopum non esse alium, nisi illum, quem supra D. CHEMNITII, viri de ecclesia Christi meritissimi, verbis indicauimus. Neque mirandum est, hanc epistolam secundæ Petri ita accurate consonare, quia ipse Apostolus innuit, hanc aliasque epistolas eo iam tempore scriptas fuisse & notas, ad easque dedita opera alludit com. 17. 18. *Vos autem, inquit, delecti, memores estote verborum illorum, quæ prædicta fuerunt ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi, quod videlicet dixerunt vobis, in extremo tempore futuros irrisores, qui in impiis suis cupiditatibus incederent.* De his autem cum Paulus in vtraque ad Timotheum, tum maxime Petrus in secundæ epistola perspicue locuti erant. Vnde ipsis genuinam Apo-

Apostolorum Domini sententiam exponit, ipsorumque verborum adimpletionem, suam iam tempore inchoatam aperte indicat. *Hic sunt, inquit com. 19. qui se ipsos segregant, animales, spiritum non habentes.* Hic scopus Apostoli digne consideratus præter eam utilitatem, quam supra in epistola Iacobi, ex parte etiam in epistolis Iohannis & Petri indicauimus, hanc etiam nobis exhibet, vt harmoniam & vere diuinam doctrinæ Apostolicæ consonantiam eo melius perspiciamus, & intelligamus, quod Deus ad fidem nostram tanto magis corroborandam adiuersis Apostolis diuinæ veritatis suæ testimonium, quod tam egregie sibi constat, nobis reliquerit.

## §. XXIX.

*Scopus Apocalypses S. Ioannis.*

Restat adhuc tertium librorum Novi Testamenti genus, liber videlicet Propheticus, quo nomine *Apocalypsis S. Ioanni* facta venit. Huius ergo scopus ex Cap. I, 1. patet: *Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit ipsi Deus, vt indicaret seruis suis, que oporteat fieri cito.* Et ex Cap. XXII, 6, 7. *Hec verba fida sunt & vera: & Dominus Deus ille sanctorum Prophetarum misit Angelum suum, vt indicet seruis, suis, que oportet fieri cito.* Ecce  
venio

*venio cito, beatus, qui obseruat verba Prophetia  
 libri huius.* Et com. 16. *Ego Iesus misi Ange-  
 lum meum, vt hac vobis testificaretur in ecclesiis.*  
 Scopus igitur huius libri Prophetici  
 est, quod Deus Dominus ecclesiae  
 in his terris militanti indicare vo-  
 luerit, quae fieri oporteat, & quae  
 eius conditio ac fors esse debeat ad  
 aduentum vsque Domini sui ac Salua-  
 toris Iesu Christi, & quanam, Do-  
 mino adueniente, expectanda ei  
 sint gaudia & solatia. Quantum igitur  
 ex hoc magni omnino faciendo libro per Dei  
 gratiam & misericordiam intelligimus,  
 tantum vtilitatis & solatii in omni-  
 bus certaminibus contra Satanam,  
 mundum & nostram ipsorum car-  
 nem ac sanguinem habemus. Det  
 Deus nobis omnibus Spiritum sapi-  
 entiae & reuelationis per agnitio-  
 nem ipsius: & oculos illuminatos  
 mentis nostrae, in omnes diuitias  
 certitudinis intelligentiae in cog-  
 nitionem mysterii Christi:  
 Amen!

EPITO-



---

# EPITOME

SCOPI LIBRORVM NOVI TESTAMENTI, QUÆSTIONIBVS AC RESPONSIONIBVS COMPREHENSA IN VSVM EORVM, QUI IVVENTVTEM AD LECTI-  
TIONEM NOVI TESTAMENTI INSTITV-  
RE DEBENT.

---

*In Nomine IESV! Amen.*

## Quæstiones Præliminares.

1. *Scripturam sacram cum fructu & ad sui adificationem lecturus ad quid attendere debet?*

Responsio.

Ad scopum & finem, in quem præcipue singula dicta & scripta sunt.

2. *Vnde Spiritus Sancti scopus & intentio in singulis peculiaribus textibus cognoscitur?*

Ex consideratione scopi & intentionis vniuscuiusque libri.

3. *Quis est scopus totius scripturae sacrae? sine quem in finem scripturam S. nobis Deus dedit?*

Id Paulus nos docet Rom. XV, 4. & 2 Tim. III, 15. 16. 17.

4. *Quomodo S. scriptura commode dispesci potest?*

(1) Ratione argumenti & (2) ratione librorum, quos continet.

*Franck, Scopus N. T.*

M

*J. Quo-*

5. *Quomodo ergo S. scriptum ratione argumen-  
ti diuiditur?*

In Legem & Euangelium.

6. *Anne Lex tantummodo in V. Testamento ex-  
stat?*

Non, sed tam in Veteri quam Nouo Te-  
stamento habetur.

7. *Anne forte Euangelium in solo Nouo Testa-  
mento?*

Non, sed itidem in Nouo & Vetere Testa-  
mento habetur.

8. *Lex quenam doctrina?*

Doctrina diuina est, de omnibus, quæ De-  
us a nobis fieri & omitti vult, nos erudiens.

9. *Euangelium quenam doctrina?*

Doctrina est de summa Dei gratia in Chri-  
sto Iesu, cuius per fidem participes reddi-  
mur.

10. *Cur vero ista doctrina Lex dicitur?*

Quia Deus hac ipsa nobis ea præcipit,  
quæ nostri sunt officii erga ipsum & proxi-  
mum.

11. *Cur hæc doctrina dicitur Euangelium?*

Quia lætum est nuntium seu lætificans ad-  
nuntiatio.

12. *De qua re agitur summatim in Euangelio?*

De amore Dei erga nos.

13. *De qua autem in Lege?*

De amore nostro erga Deum & proxi-  
mum.

14. Ha-

14. *Haberne utraque S. sacra pars, Lex videlicet & Euangelium, itidem peculiarem quemdam scopum?*

Ita est. Alium scopum Lex, alium habet Euangelium.

15. *Ob quem finem Deus nobis dedit Legem?*  
(1) Ad externam morum disciplinam in vita communi 1 Tim. I, 9. 10.

(2) Ut speculi instar nobis esset, ex quo peccatum & iram diuinam in peccatum agnosceremus.

(3) Ut esset pædagogus ad Christum Gal. III, 24.

(4) Ut esset regula & cynosura totius vitæ nostræ Ps. CXIX, 105.

16. *Habemusne epitomen aliquam Legis?*

Habemus. Decalogus est epitome Legis.

17. *Habentne unumquodque præceptum peculiarem scopum, ex quo intelligi & explicari debeat?*

Utique. Vide D. SPENERI quæstiones catecheticas ex primo catechismi capite de decem præceptis.

18. *Quis scopus est Euangelii?*

Ut credamus, Iesum esse Christum illum filium Dei, & ut credentes vitam habeamus per nomen eius Io. XX, 13.

19. *Quomodo S. scriptura diuiditur ratione librorum, quos continet?*

In libros Veteris & Noui Testamenti.

20. *Quinam sunt ex virisque clarissimi atque maxime perspicui?*

Libri Noui Testamenti.

21. *Quid hinc colligi?*

Consultum esse, vt Nouum Testamentum prius cognitum atque perspectum habeamus, quippe quod clavis Veteris Testamenti est.

22. *Anne vero & Vetus Testamentum legi debet?*  
Ornino, suo quoduis ordine.

23. *Cur Vetus Testamentum commode negligi nequit?*

(1) Quia in illo æque ac in Nouo verbum Dei existat.

(2) Quia Vetus in Nouo creberrime adlegatur, & hoc ad illud respicit.

Quæstiones, speciatim ad scopum librorum Noui Testamenti at-  
tinentes.

§. I.

1. *Quotuplices sunt libri Noui Testamenti?*

Triplices (1) historici (2) epistolæ Apostolorum & (3) liber Propheticus.

2. *Quinam sunt libri Historici?*

Quatuor Euangelistæ & acta Apostolorum.

3. *Epistolæ Apostolorum quenam?*

Epistolæ Pauli

ad Romanos

2 ad

2 ad Corinthios

ad Galatas

ad Ephesios

ad Philippenses

ad Colossenses

2 ad Thessalonicenses

2 ad Timotheum

ad Titum

ad Philemonem

ad Hebræos

Epistola Iacobi

2 Epistolæ Petri

3 Epistolæ Ioannis

Epistola Iudæ.

4. Num Epistolæ Pauli eo ordine temporis scriptæ sunt, quo inter libros Noui Testamenti alia aliam sequitur?

Neutiquam.

5. Quam epistolam a Paulo primam scriptam esse putas?

Vtramque ad Thessalonicenses.

6. Quanam epistola fuit vltima?

Secunda ad Timotheum.

7. Quisnam liber est Propheticus?

Apocalypsis S. Ioannis.

## §. II. III.

8. Quis scopus est & quæ intentio omnium Euangelistarum?

Vt enarrent, quæ cœpit Iesus & facere & docere ad eum vsque diem, quo sursum re-

M 3

cepsua

ceptus est, vt per hæc in ipsum credentes vitam æternam consequamur Act. I, 1. 2.

9. *Quem scopum Lucas præ reliquis in concinnando euangelio habuit?*

Vt omnia iusto ordine persequeretur, vti alia alia fuerant infecuta: adeoque non nulla fusius enarraret.

10. *Quam intentionem Ioannes habuit in euangelio?*

Vt diuinam Iesu Domini Nostri naturam demonstraret, quam non nulli eo tempore ipsi abiudicabant, cap. XX, 31.

#### §. IV.

11. *Quid ex hoc generali ac speciali quatuor euangelistarum scopo, quem sic indicauimus, consequitur?*

1. Vitæ Domini nostri Iesu Christi cognitionem ex illis esse petendam; quandoquidem Deus haud frustra per quatuor fidos seruos suos eam consignauit;

2. Fidem in Iesum, Dominum nostrum, vitæque æternæ spem ex iis recte fundandam esse & stabiliendam.

3. Fidem istam nostram in imitatione Iesu eo studiosius esse demonstrandam.

4. Harmoniam euangelistarum magni esse faciendam.

5. In primis in doctrina de persona & officio Domini nostri Iesu Christi fundamentum

tum rite a nobis iaciendum & magis magisque firmandum esse.

## §. V.

12. *Quis liber præterea ad historicos Novi Testamenti libros spectat?*

Acta Apostolorum.

13. *Quis ea litterarum monumentis consignavit?*  
S. Lucas, Euangelista.

14. *Anne omnium ac singulorum Apostolorum res gesta in hoc libro enarrantur?*

Non, sed Petri tantum, maxime autem Pauli.

15. *Quo fine hic liber scriptus est?*

Vt primorum Christianorum sinceritatem in doctrina iuxta ac vita inde cognoscamus eamque imitemur.

16. *Qui libri historicos sequuntur?*

Epistolæ Pauli Apostoli, & proxime quidem Epistola ad Romanos.

## §. VI.

17. *Quid generatim ex Pauli epistolis discere debemus?*

1) Magnum eius doctrinam de vera & salvifica fide inculcandi studium.

2) Flagrantissimum eius & vere matrem in ecclesias amorem.

3) Magnam illius sapientiam, providentiam ac circumspectionem, qua in bono tuendo & vituperandis abusibus usus est.

M 4

18. *Quod-*

18. *Quodnam caput ex Noui Testamenti libris  
præ reliquis nobis prodesse potest ad argumentum  
epistolarum Paulinarum recte capien-  
dum?*

Caput XV, Actorum Apostolicorum.

§. VII.

19. *Dic queso, qui scopus est & que intentio  
Apostoli in epistola ad Romanos?*

Vt ex ea discamus, tam Iudæos quam  
Ethnicos ante Christum agnitum, omnes sub  
peccato & ira Dei iacere & iustificari sine  
operibus legis sola fide.

20. *Vbi hic Apostoli scopus summarius sicitur?*

Capite III, commatibus 23, 24, 25, 26.

21. *Anne vero Paulus hunc scopum adhuc cap.  
IX. X. XI. habet?*

Est omnino & ibi hic ipse proprius &  
præcipuus scopus.

22. *Agitur Paulus in hac epistola tantum de  
fide?*

Non, sed de fidei etiam fructibus, quem-  
admodum in reliquis etiam epistolis.

23. *Quid vero ex diligenti huius scopi obseruatione  
consequitur?*

1) Quod ex ea in salutis nostræ funda-  
mento probe nos fundare possimus & stabi-  
lire.

2) Quod ad confutandos vitandosque pon-  
tificiorum aliorumque errores illa vii possi-  
mus,

3) Quod



3) Quod inde ordinem, quo homines ad Deum reducendi sint, & veram omnis veræ pietatis featuriginem discere possimus.

§. VIII.

24. *Quenam epistola hanc ad Romanos sequitur?*

Prior ad Corinthios,

25. *Cuius ministerio Corinthii primum ad Deum conuersi fuerunt?*

Ministerio Pauli, uti videre est Actor XVIII, 9. 10. 11.

26. *Num vero in tam egregia statu, in quem ab Apostolo per Dei gratiam collocabantur, manserunt?*

Non manserunt, sed in varios errores ac peccata prolapsi sunt.

27. *Quanam, queso, error præcipuus fuit? Quod quidam inter ipsos dixerunt, non esse resurrectionem mortuorum. Cap. XV.*

28. *Quenam flagitia inter ipsos obrinuerunt?*

Superbia, iurgia, scortatio, lites, christianæ libertatis & sacræ cœnæ abusus, & id genus alia.

29. *Quem igitur huius Epistolæ scopum esse existimas?*

Ut hanc ecclesiam, initio quidem ad Christum conuersam, postea vero valde disturbatam in ordinem denuo redigat, & ad mutuum vere Christiani amoris exercitium pu-

ramque & limpida diuinarum veritatum cognitionem perducat.

30. *Quidnam ex hoc Epistole scopo potissimum considerare debemus?*

(1) Magnum Apostoli amorem, quo ductus huius ecclesie nauos & defectus patientissime tulit & emendauit:

(2) Quo amore, patientia & sapientia in errantes & seductos nostra etiam ætate uti debeamus.

§. IX.

31. *Quanam Epistola priorem ad Corinthios excipit?*

Posterior ad Corinthios.

32. *Quem scopum in hac Epistola habet Paulus?*

(1) Ut eos, qui priore Epistola ad veram poenitentiam excitati erant, rursus erigat atque soletur:

(2) Ut aduersus falsos Apostolos se defendat:

(3) Ut malos & refractarios in Ecclesia Corinthiaca porro redarguat:

(4) Ut omnes ac singulos admoneat atque emendet.

33. *Quid ex hac Epistole scopo discimus?*

Profundam Apostoli caritatem, sapientiam, mansuetudinem, patientiam & diuinum

num zelum, in quibus omnibus ipsum imitari debemus.

§. X.

34. *Quenam Epistola hanc sequitur?*

Epistola ad Galatas.

35. *Qua cum Epistola hæc ipsa, quod ad primarium illius scopum attinet, proxime congruit?*

Cum Epistola ad Romanos.

36. *Dic, quæso, quis Apostoli in hac Epistola scopus primarius?*

Vt Galatas in errorum ac vitiorum auiâ abreptos ad meliorem frugem reducat, eosque tum in fundamento doctrinæ cælestis ad veram fidei sinceritatem tum ad genuinam caritatem & voluntatum consensionem formet.

37. *Quid prodest huius scopi observatio?*

(1) Vt discamus, quantum momenti in puritate ac sinceritate doctrinæ positum sit;  
Cap. I, 8. 9.

(2) Vt sciamus, fundamentum salutis nostræ in solo Christo & fide in hunc ipsum statui:

(3) Vt cognoscamus, qua caritate, mansuetudine & studio in seductos vti nos oporteat:

(4) Vt percipiamus, doctrinam de iustificatione eum in modum esse tractandam,

vt

vt neque Pharisaiicæ operum iustitiæ neque Epicuræ securitati ansa præbeatur.

§. XI.

38. *Iam sequitur Epistola ad Ephesos: quanam occasio Paulo data fuit hanc epistolam mittendi?*

Quod conuersos Iudæos inter & Gentiles non bene conueniebat.

39. *Vnde isthac discordia & animorum dissensio?*

Quod Iudæi Gentiles pro fratribus habere nolebant, nisi legi sese submitterent.

40. *Quis proinde Apostoli in hac Epistola scopus?*

Apostolus demonstrare satagit, discrimen illud, quod Veteris Testamenti temporibus Iudæos inter & Gentiles fuerit, per Christum iam esse sublatum, & utrosque in vnum corpus spirituale, cuius caput Christus sit, coaluisse. Cap. II, II. seqq.

41. *Quid ex hac scopi adnotatione discimus?*

(1) Amorem Dei vniuersalem in Iudæos & Ethnicos.

(2) Vnicum & verum omnis sinceræ caritatis & concordie fundamentum, communionem videlicet gratiæ Iesu Christi.

(3) officium nostrum, vt pacem in ecclesia Dei, quantum in nostra situm est potesta-

te, sine diuino tamen veritatis detrimento, quæramus & promoueamus.

## §. XII.

42. *Quæ nunc Epistola sequitur?*

Epistola ad Philippenses.

43. *Vbinam Paulus hanc Epistolam exaravit?*

Romæ in vinculis.

44. *Cui hanc Epistolam Paulus ad Philippenses dedit?*

Epaphrodito, doctore & ministro Philippensium, a quibus Romam missus fuerat, ut Paulum inuideret eique collectam adferret.

45. *Quanam vero hic Epaphroditus de Philippensium statu Paulo retulerat?*

In fide ipsos fuisse constantes, quantumvis falsis quibusdam Apostolis eos conturbare adlaborantibus.

46. *Quis igitur Apostoli in hac Epistola scopus?*

Vt Philippenses (a) in fide corroboraret (b) ad caritatem, concordiam & humilitatem cohortetur (c) de vitandis falsis Apostolis commonefaciat (d) ad gaudium in DOMINO excitet, & (e) pro acceptis per Epaphroditum beneficiis gratias agat, quem (f) ipsis fidelissime commendat.

47. *Quid hinc in usum nostrum obseruamus?*

Flagrantissimum Apostoli in Philippenses amo.

amorem & ingentem sollicitudinem, quam ad eos in veri & recti studio conservandos & aduersus omnes deceptiones præmuniendos adhibet.

§. XIII.

48. *Ad Epistolam ad Colossenses vt perueniamus, dic, quaeso, quis Colossenses primum ad Christum perduxit?*

Epaphras, vid. cap. I, 7.

49. *Eratne Paulus Colossensibus de facie iam notus?*

Non erat; non viderant faciem illius in carne. cap. II, 1.

50. *Quid ergo illum ad scribendum ipsis impulit?*

Munus eius Apostolicum ita tulit. cap. I, 27. 29.

51. *Quis vero eius in hac Epistola scopus?*

Apostolus hac ipsa Colossenses tum in puriore fidei doctrina tum religiosa vita eos confirmare, & ab erroribus falsorum Apostolorum omnique carnali securitate tutos praestare adniritur.

52. *Quem usum huius scopi obseruatio nobis præbere potest?*

(1) Vt hanc Epistolam magni faciamus, vt pote in qua verum Christianismi fundamentum, immo totus eius ordo egregie continetur;

(2) Vt

(2) Vt discrimen eo melius pernoscamus, cum de Iudæis (vt cap. I, 13. &c.) & cum de gentilibus (cap. I, 21.) loquatur Apostolus.

53. *Cum quamquam Epistola hæc ad Colossenses maxime congruit?*

Cum Epistola ad Ephesios.

§. XIV.

54. *Quanam Epistola hæc ad Colossenses sequitur?*

Prior ad Thessalonicenses.

55. *Quis scopus Apostoli in priore ad Thessalonicenses Epistola?*

Apostolus eos hac ipsa ad perseverantiam in fide, caritate ac patientia excitare, in afflictionibus consolari, deque necessariis quibusdam Christianæ doctrinæ partibus commonefacere voluit.

56. *Quanam fuerunt istæ partes?*

Doctrina de aduentu Christi: de ordine resurrectionis mortuorum: de fraterna caritate & humilitate cum inter se mutuo tum vero maxime erga doctores excolenda.

57. *Vbinam præterea in Novo Testamento de Thessalonicensibus legimus?*

In capite XVII. Actorum.

58. *Quem fructum ex hoc scopo observato percipimus?*

Sanctos diuini spiritus motus in animo Apostoli, in primis amorem ac fidem erga hanc Ecclesiam præ reliquis inde possumus perspicere.

§. XV.

## §. XV.

59. *Quis scopus Pauli in posteriore ad Thessalonicenses Epistola, quæ primam sequitur?*

- (1) Ut doctrinam de aduentu Christi luculentius ipsis explicet & proponat.
- (2) ut ipsos in durantibus afflictionibus soletur, &
- (3) eos, qui inordinate viuere & otiosi cæperant, reprehenderet.

60. *Quid ex hoc Pauli scopo discimus?*

- (1) Diuinam veritatem facile in peregrinum sensum rari posse, & quo pacto infirmioribus in tali casu succurrere debeamus.
- (2) In optimo etiam ecclesiæ statu confusionem suboriri posse; & quomodo ei sollicitate anteuertere debeamus.

## §. XVI.

61. *Sequitur iam prima ad Timotheum Epistola: dic autem prius, quis sit iste Timotheus?*

Episcopus Ephesi.

62. *Quæ in finem Paulus hanc ad Timotheum epistolam scripsit?*

Ut nosset, quomodo oporteret in domo Dei versari: quæ est ecclesia Dei viui c. III, 14. 15.

63. *Qua ratione spectanda est hæc epistola?*

Vt pulcherrima & optima Ordinatio ecclesiastica: ad quam reliquas omnes examinari oporteat,

64. *Quid*



64. *Quid utilitatis ex diligenti huius scopi notatione redundat?*

(1) Omnes doctores in ea, tamquam speculo sese contemplari possunt, utrum officio suo ex diuina ordinatione fungantur, an minus?

(2) Ex ea etiam sapientiam singulare Dei donum esse cognoscimus.

(3) Ex hac Epistola veros Dei seruos a mercenariis & ventri seruientibus distinguere discimus.

### §. XVII.

65. *Quid de secunda ad Timotheum Epistola in primis notandum est?*

Hanc omnium Pauli Epistolarum vltimam esse, quomodo pater ex cap. IV, 6. 7. 8.

66. *Vbi locorum hæc epistola scripta est?*

Romæ in vinculis.

67. *Quomodo hæc Epistola consideranda est?*

Veluti suauissima Cygnea cantio, siue Testamentum Pauli Apostoli.

68. *Quis vero ipse in hac Epistola scopus?*

Timotheum adhortatur, ut post ipsius etiam e vita discessum salutari doctrinæ adherereat, nec vlla afflictione ab ea se dimoueri patiatur.

69. *Quo valet istius scopi in hac Epistola obseruatio.*

Eo, ut tanto maiore in pretio illam habeamus, quippe quæ a Paulo iam sene, & tam multis experimentis erudito seruo Dei exspiru ad supplicium pro confessione Christi

Franck, Scopus N. T.

N

sub-

subeundum promtissimo paullo ante vitæ ipsius finem scripta est.

§. XVIII.

70. *Quenam nunc sequitur Epistola?*  
Epistola ad Titum.

71. *Quis ille Titus?*  
Fuit episcopus in Creta Insula.

72. *Quem hæc Epistola habet scopum?*  
Eundem, quem supra in prima ad Timotheum Epistola indicauimus; quapropter eam itidem veluti breuem quamdam Ordinationem Ecclesiasticam considerare possumus.

73. *Quanam vero in re ab illa potissimum differt?*

Quod in hac ad peculiare Cretensium circumstantias non nulla adcommodet Cap. I, 10. 11.

74. *Quid inde discimus?*

(1) Quod ex vtriusque Epistolæ collatione vtramque eo melius intelligere possumus.

(2) Quod pro singularibus cætus cuiusdam, oppidi vel totius etiam regionis circumstantiis sæpius rei alicuius maior ratio heic quam illic haberi debeat.

§. XIX.

75. *Dic iam, queso, quem scopum in Epistola ad Philemonem Paulus habeat?*

Paulus hac Epistola Philemonem eo adducere studet, vt Onesimum seruum suum, qui ab ipso aliquid furatus aufugerat, amanter recipiat, vtpote ad Deum sincera resipiscentia reductum.

76. *Quid*

76. *Quid nos huius epistola scopus docet?*  
 Quod res etiam externæ ab hominibus Christianis peragi solitæ de fide, caritate, humilitate aliisque sanctis virtutibus testari debeant.

## §. XX.

77. *Anne adhuc una superest Epistola a Paulo Apostolo conscripta?*

Superest, & quidem Epistola ad Hebræos.

78. *Vnde probabis, Paulum huius epistola esse auctorem?*

(1) Ex comam, 15. 16. Cap. III. posterioris Petri Epistolæ; vbi Petrus Paulum ad Hebræos scripsisse adfirmat:

(2) Ex huius ipsius Epistolæ cap. XIII, 23.

(3) Ex collatione 2 Theff. III, 17. cum huius Epistolæ cap. XIII, 25.

79. *Iacitne Paulus in hac Epistola prima Christianæ doctrinæ fundamenta?*

Neutiquam, cap. VI, 1.

80. *Quo sine igitur hanc Epistolam Paulus examuit.*

Vt inconstantes Hebræi corroborarentur & melius instituerentur, aduersus defectio-  
 nem a fide autem præmunerentur.

81. *Quomodo alias hæc Epistola spectanda & consideranda est?*

Tamquam optima Leuitici Interpretatio, & selectissima ad verum Veteris Testamenti sensum percipiendum Institutio.

82. *Quo igitur facit hæc epistola ob scopum iam indicatum?*

(1) Vt eo melius intelligamus, huius Epistolæ

stolæ argumentum per vniuersam doctrinam Christianam sese diffundere :

(2) Vt videamus, quomodo doctrinæ Christianæ probationem aduersus Iudæos ex Veteri Testamento depromere possimus.

§. XXI. XXII.

83. *Quenam Epistolæ sequuntur Paulinas ?*  
Dua Petri Epistolæ.

84. *Ad quos ille scriptæ sunt ?*  
Ad fideles Iudæos inter Gentes dispersos.

85. *Quis Petri scopus in prima Epistola ?*  
(1) Vt Iudæos conuersos in afflictionibus & vexationibus, quibus premebantur, consolentur & erigat :

(2) Vt eos ad fidei perseuerantiam & vitæ sanctitatem adhortetur.

86. *Quem usum huius scopi observatio præbet ?*

(1) Vt hanc epistolam ad præstantissimam in omnibus afflictionibus consolationem,

(2) Ad efficacissimam excitationem, ne in vllis afflictionibus officio nostro christiano desimus, adhibeamus.

§. XXIII.

87. *Quis scopus Petri in secunda Epistola ?*

(1) Vt fideles ante discessum suum ad veri & recti studium in Christo adhuc semel cohortentur cap. I, 12. 13. 14. 15.

(2) Vt eos doceat, quemadmodum a dolosis spiritibus & derisoribus sibi cauere debeant, cap. III, 1. sqq.

88. *Quo-*

88. *Quomodo præterea hanc Epistolam considerare possimus?*

Tamquam cygneam cantionem & testamentum Petri Apostoli.

89. *Quid utilitatis ex huius scopi adnotatione redundat?*

(1) Vt hanc Epistolam tanto magis commendatam nobis habeamus, utpote in qua Petrus ultimam voluntatem suam tanto luculentius & manifestius declaravit:

(2) Vt duo primaria huius Epistolæ momenta, nimirum adhortationem ad veri rectique studium & admonitionem de vitando omnium seductionis periculo eo melius discernere & ad nostri ædificationem adplicare discamus.

§. XXIV.

90. *Cuiusnam Apostoli Epistola utramque Petri sequuntur?*

Tres S. Ioannis Epistolæ.

91. *Quis scopus primæ Ioannis Epistolæ?*

Vt doceat, in Iesu esse veritatem, & fidem per caritatem efficacem esse operere, si Christi ipsiusque gloriæ participes fieri velimus.

92. *Quem huius scopi notatio usum præbet?*

Vt hanc Epistolam tamquam veram veri Christianismi delineationem consideremus, & in summa simplicitate summam Dei potentiam ac sapientiam agnoscentes lucem a tenebris eo melius distinguamus.

§. XXV.

93. *Ad quem secundam Ioannes epistolam misit?*

Ad piam quamdam matronam illiusque liberos.

N 3

94. *Quis*

94. *Quis huius Epistole scopus?*

- (1) Vt ad mutuam caritatem & veritatem, quæ in Iesu est, cohortetur.  
 (2) Vt omne seductionis periculum deuitare doceat.

95. *Quo valet istius scopi obseruatio?*

Illustri nobis exemplo esse potest, quem admodum per litteras alios verbis paucis & simplicibus ædificare debeamus.

§. XXVI.

96. *Ad quem tertia Ioannis Epistola scripta est?*  
 Ad Gaium presbyterum.

97. *Quis scopus huius Epistole?*

Vt Gaio de Demetrii fide bonum perhibeat testimonium.

98. *Quem in finem de Demetrio bonum testimonium perhibet?*

Vt a Gaio suscipiatur.

99. *Quibus argumentis Gaium ad hoc ipsum adducere nititur?*

(1) Quod caritatem & hospitalitatem Gaii laudat:

(2) Quod de Diotrephe, qui nulla in fratres hospitalitate utebatur, conqueritur.

100. *Quid huius scopi obseruatio docet?*

(1) Verum litterarum systaticarum seu commendatitiarum vsum:

(2) Vt primorum Christianorum hospitalitatem caræ iuuentuti ob oculos proponamus.

§. XXVII.

101. *Quanam porro sequitur Epistola?*  
 Epistola Iacobi.

102. *Quis*

102. *Quis huius Epistolæ scopus?*

- (1) Vt fideles sub afflictionibus soletur;
- (2) Vt tepidos frigidisque Christianos, fidem verbis quidem iactantes veros autem fructus spiritus non edentes, reprehendat.
- (3) Vt eos ad sinceræ pietatis studium horretur atque expergeficiat.

103. *Quid hic scopus recte obseruatus docet?*

(1) Paulum & Iacobum facile inuicem posse conciliari, vbi hic illi contradicere videtur.

(2) Hanc Epistolam adprime aptam esse & conuenientem ad Lutheranorum nostratum statum, qui plerumque de fide & gratia Christi gloriantur, & nihilominus omnibus peccatis & flagitiis sese contaminant.

§. XXVIII.

104. *Quenam est vltima in Nouo Testamento Epistola?*

Epistola Iudæ Apostoli.

105. *An ne hic Iudas Iscariotes est, qui Christum prodidit?*

Non est, sed Iudas Iacobi, cuius fit mentio Io. XIV, 22. Act. I, 13.

106. *Cui Epistola hac ipsa maxime conuenit?*  
Secundæ Petri Epistolæ.

107. *Quis scopus Apostoli in hac Epistola?*

Vt horretur ad constantiam in fide & ad vitæ sanctitatem, contra eos, qui gratiam Dei ad lasciuiam transferebant.

108. *Quid ex indicato scopo imprimis perspiciamus?*  
 Harmoniam & vere diuinam doctrinæ  
 Apostolicæ consonantiam.

## §. XXIX.

109. *Ad tertium librorum Noui Testamenti genus  
 librum propheticum pertinere dixisti:  
 quinam iste?*

Apocalypsis S. Ioannis: vel potius Apoca-  
 lypsis Iesu Christi Ioanni facta.

110. *Quis huius libri scopus?*

Deus ecclesiæ in his terris militanti indica-  
 re voluit, quæ eius conditio & fors esse debeat  
 ad aduentum vsque Domini sui ac Saluatoris  
 Iesu Christi: & quanam, ipso adueniente,  
 expectanda ei sint gaudia atque solatia.

111. *Quorsum spectat huius scopi obseruatio?*

(1) Vt in omnibus certaminibus contra  
 Satanam, Mundum & nostram ipsorum  
 Carnem ac sanguinem hoc libro salutariter vti  
 discamus:

(2) Vt a Deo Spiritum sapientiæ ac reue-  
 lationis diligenter expetamus, quo mysteria  
 in hoc libro comprehensa oculis mentis illu-  
 minatis perspiciamus.







## INDEX AVCTORVM ALLEGATORVM.

<b>A</b> llix (Petri) Pfalterium Davidis	63
Antonii (Pauli) disputatio in præfationem Lutheri super libros Veteris Testamenti	6
Arndii (Ioannis) in Psalmos	62
Arnoldi (Gottfridi) Repræsentatio primorum christianorum	57
Athanasii dialogus de S. S. Trinitate	155
Augustinus	66
<b>B</b> ochareus (Samuel)	84
Brentius (Ioannes)	10. 25. 49
Bugenhagenii (Io.) in Psalmos	60
Burmanni (Francisci) Oeconomia Veterum	19
<b>C</b> apelli (Ludouici) Historia Apostolorum	110
Chebnitii (Martini) Loci Theologici 2. 133. 158. 159. 162. 164. 169. 171. 174	
Cocceius (Ioannes)	37. 63
Comenii (Io. Am.) historia fratrum Bohemorum	58
<b>F</b> ranckii (Aug. Herm.) Prælectiones Hermeneticæ	1. 65. 68.
	N 5
	Franzii

INDEX AVCTORVM.

<i>Franzii</i> (Wolfgangi) de interpretatione Scri- pturæ Sacræ	125
<i>Freylinghusius</i> (Io. Anast.)	51
<b>G</b> <i>Eieri</i> (Martini) in Psalmos	64
- - Prouerbia	67
<i>Gerhardi</i> (Io.) præfatio in Commentarium Arndii in Psalmos	61
- Commentarius in epist. ad Hebræos	154
<i>Glassii</i> (Salomonis) Philologia sacra	1
<i>Grotii</i> (Hugonis) Adnotationes in Biblia	98
<i>Gürtleri</i> (Nicolai) Theologia prophetica	72.
	97
<b>H</b> <i>Jeronymus</i>	97
<i>Hœpferus</i> (Henricus)	100
<b>K</b> <i>Oepkenius</i> (Balth.) Introductio in lectio- nem prophetarum	70
<b>L</b> <i>Vtherus</i> 6. 7. 9. 11. 13. 42. 43. 64. 69. 72. 91. 92. 121. 127. 146. 151. 152. 161. 163	
<b>M</b> <i>Aii</i> (Io. Henrici) œconomia Veteris Testam.	97. 98. 100. 101
<i>Mercerus</i> (Io.)	67. 68
<i>Michaelis</i> (Christ. Bened.) præfatio in pro- uerbia Salomonis	65
<i>Michaelis</i> (Io. Henrici) præfatio in librum I. Chronicorum	29. 33
- in Iobum	41
<b>P</b> <i>Iscaor</i> (Io.) ex allegatione Seb. Schmi- dii	154. 155
<i>Procopius</i>	16

*Regii*

INDEX AVCTORVM.

<b>R</b>	<i>Egii</i> (Vrbani) de formulis caute loquen- di	161
	<i>Ruperii</i> Tuitiensis de Victoria Verbi	37. 39 94
de Mr.	<b>S</b> <i>aci</i> la Bible	27
	<b>S</b> <i>chmidius</i> (Seb.) 19. 40. 66. 74. 77. 154	
<b>T</b>	<i>Arnouii</i> (Io.) Commentarius in Prophe- tas	92. 98
	<i>Tillii</i> (Salom.) in Pfalms	63
<b>V</b>	<i>Arenius</i> (Aug.)	70. 85
	<i>Virringæ</i> (Campegii) typus doctrinae propheticae	87. 88. 96
	- Anacrysis Apocalypseos	88
<b>W</b>	<i>Altheri</i> (Mich.) officina Biblica	38. 68. 75. 79

INDEX RERVM.

<b>A</b>	<i>Bductio</i> Israelitarum & Iudæorum prædi- cta per Micham	95
	<i>Abusus</i> doctrinae de iustificatione	160. 161. 162
<i>Acta</i>	Apostolorum non omnium Apostolo- rum res gestas enarrant 115. cur ante episto- las reperiantur 117. eorum crebra lectio in epistolis utilis	118
<i>Afflictiones</i>	tolerandae 149. 165. solatium in il- lis plenissimum exhibet prima Petri epi- stola	165 De

INDEX RERVM.

De <i>Aduentu</i> Domini ubi Paulus præcipue doceat	143
<i>Amor Dei</i> vniuersalis ex epistola ad Ephesios cognoscitur	135
<i>Amoris</i> fraterni commendatio 120. eius fundamentum	135
<i>Amos</i> quando vixerit 87. 88. 89. inter quos prædicauerit resipiscentiam 88. 90. quos habuerit vates coæuos 91. eius testimonia bis in Nouo Testamento citari	91
<i>Antinomi</i> doctrina de iustificatione abusi sunt	161
<i>Apocalypsis</i> Ioannis in afflictionibus solatium præbet	176
Contra <i>Apostolos falsos</i> Paulus suos muniuit	137
<i>Assyriaco</i> regno excidium denuntiatur	95
<b>B</b> eneficentiæ Dei in Israelitas finis 14. Philippensium beneficentiam Paulus grato animo agnoscit	138
<i>Bohemi</i> fratres multorum hymnorum autores	58
<b>C</b> anaan. De ingressu in terram <i>Canaan</i> historia corrupta ab Ethnicis	16
In <i>Canticis</i> ecclesiæ subministrandis singulare consilium Dei s̄t. seqq. Quænam cantica Deo grata sint	57
<i>Captiuitas</i> populi Dei quo valuerit 82. in vtilitatem nostram a nobis conuertenda 27. prædicta fuit 35. 95. 99. cur fuerit soluta	36
	<i>Cari-</i>

INDEX RERVM.

<i>Caritatis</i> christianæ exemplum vbi proponatur	152
<i>Certamen</i> Pauli de seductis Galatis 131. pro fide euangelii	136
<i>Christianismi</i> veri delineatio vbi exstet	169
<i>Christus</i> Sacræ Scripturæ scopus vniuersalis 3. 12. <i>Christi</i> vita cur per quatuor euangelistas descripta sit 114. eius persona & officium in epistola ad Hebræos explicatur	157
<i>Chronica</i> Deum populo suo dedisse res maximi momenti 29. quando ea sint exarata	ibid.
<i>Commendatitiæ</i> litteræ Apostolorum ab aliis huius generis diuersæ	153. 171
<i>Commodi</i> priuati studium malorum causa	105
<i>Concordia</i> fundamentum	135
<i>Confusio</i> in ecclesia facile potest suboriri	144
<i>Consolationis</i> loco quid soleant prophætæ adferre 71. in afflictionibus eam exhibet 1 epistola Petri 165. & Apocalypsis	176
<i>Constitutio</i> ecclesiastica vbi habeatur	146. 150
<i>Crucis</i> mysterium in libro Iobi 41. in captiuitate Babylonica	82
<i>Cultus</i> Dei vera ratio unde pateat, 6. cultus Leuitici finis 9. 11. eius cognitio necessaria & vtilis	10
<i>Cygnæ</i> cantio Pauli	149
<i>Cyrus</i> liberator populi Dei designatus	35
<b>D</b> aniel Ieremiæ vaticinia meditatus	83.
	Eze-

INDEX RERVM.

Ezechieli cognitus	83. ab aliis distinctus	84
<i>David</i>	multorum psalmodum auctor 53. eius pietas 81. hac effectum esse, vt veri Dei cognitio ad gentes peruenerit 82. fata eius singularia quo referenda 22. 23. eum Christi typum fuisse 24. 25. In Dauide novam periodum inchoat Spiritus Sanctus	24
<i>Differentia</i>	inter Vetus & Nouum Testamentum	2
<i>Dilectionis</i>	christianæ exemplum in epistola ad Philemonem	152
<i>Disceptationes</i>	in prima ecclesia vnde potissimum subortæ	159
<i>Disciplina</i>	ecclesiastica custodienda	151
<i>Dissidia</i>	inter Galatas	130
<i>Doctrina</i>	cælestis quotuplici modo a Paulo tractetur 133. 134. 135. firmiter & incorrupte tenenda 149. eius compendium in epistola ad Titum habetur 151. & in secundæ Petri capite primo 167. eius probatio contra Iudæos vnde petenda	157
<b>E</b>	<i>Cclesia</i> Christiana in psalmis depicta	48
<i>Epaphroditus</i>	a Paulo commendatus	137
<i>Epicureismus</i>	in ecclesia a Diabolo excitatus	158
<i>Epithalamium</i>	spirituale	68
<i>Errorum</i>	confutatio quomodo instituenda	131. 132.

INDEX RERVM.

132. erroribus in tempore occurrit Paulus	139
<i>Efræ</i> ministerium	34
<i>Externa</i> res Christianorum de quo debeant testari	153
<i>Euangelistarum</i> vnus idemque scopus, non si- ne fructu consideratur	113
<i>Ezechiel</i> quo consilio Dei inter captiuos ab- ductus fuerit	80
Ἡμεῖς, ἡμεῖς quid in epistola ad Ephesios de- notet	134
<b>F</b> ermentum iudaicum ab euangelii doctri- na separare studuit Paulus	130
<i>Fides</i> penitentiam & vitæ sanctimoniam se- cum fert	123. 132
<i>Fide</i> sola hominem iustificari docet epistola ad Romanos 119. & Galatas	131
<i>Ad Firmitudinem</i> animi tuendam hortari Pau- lum	142
<i>Frigidi</i> Christiani a Paulo excitati	172
<i>Fundamentum</i> salutis in quo statuatur a Paulo	131
<b>G</b> alata seducti a Paulo reuocantur	130
<i>Genealogia</i> cur tam diligens cura habita sit 5. 30. 31. eius studium cur desierit	31
<i>Gentes</i> quomodo in Veteri Testamento ad Christi cognitionem præparati fuerint	82.
	83
<i>Gloria</i> Dei quando maxime fuerit illustrata inter gentes	82

*Haba-*

INDEX RERVM,

<b>H</b> <i>Abacuci</i> prophetiæ nucleus quis?	99
<i>Harmonia</i> doctrinæ Apostolicæ vnde pateat 175. quatuor euangelistarum quomodo sit spectanda	114
<i>Hermeneutica</i> tractaturus quid debeat observare	2
<i>Hierosolymorum</i> vastatio a Micha prædicta	95
<i>Hiskias</i> ob pietatem liberatus quomodo intuentus sit	26
<i>Historiarum</i> euangelicarum scopus III. libri <i>historici</i> inferuiunt vaticiniis prophetarum intelligendis	28
<i>Hoseas</i> quando sit vaticinatus	85
<i>Hospitalitas</i> a primis christianis exercita	170.
	171
<i>Humilitatis</i> studium commendatur	142. 147
<i>Hymni</i> quomodo cantari debeant	57
<b>I</b> <i>Iacobus</i> Apostolus Paulo non contrarius	172
<i>Idolorum</i> cultus vaticiniis redargui debuit	74
<i>Jeremias</i> de Messia dilucide vaticinatus	78
<i>Infirmioribus</i> in fide quomodo succurrendum	144. 156
<i>Inobedientia</i> exempla habentur in Numeris	12
<i>Inordinate</i> viuentes a Paulo reprehensi	144
<i>Interpretatio</i> S. Scripturæ solidâ vnde dependeat	2
<i>Iobus</i> patientis Christi typus 41. eius historia non ficta sed vera 40. seqq. ad Christum referenda	41
<i>Ioannes</i> quid in euangelio suo spectarit	113
	106



INDEX RERVM.

<i>Ioel</i> quando vixerit 87. quibus pœnitentiam prædicarit 88. eius scopus primus & vltimus	88. 89
<i>Ionas</i> typus Christi	93
<i>Iosæ</i> pii regis tempora corruptissima	101
<i>Iosua libri</i> quis sit auctor 15. eius fidem posteris exemplo esse debere 17. quo loco a fugitiuis Phœnicibus habitus sit	16
<i>Israeliticus</i> populus cur a Deo adoptatus	7
<i>Iudei</i> conuersi quomodo conuersos gentiles tractarint 132. an prærogatiua gaudeant præ gentibus 133. contra <i>Iudeos</i> doctrinæ christianæ probatio vnde petenda	157
<i>Iudicia</i> diuina in Israelitas cur sint consignata 12. 13. in gentes quo spectent 17. a prophetis denuntiantur	71
In <i>Iudicibus</i> populi Israelitici statum Christi & ecclesiæ repræsentari	19
<i>Iustificatiõis</i> doctrina ad salutis fundamentum spectat 140. per alia synonyma proposita a Iacobo, Petro, Ioanne & Iuda 159 quomodo debeat hodiernum tractari	132
De <i>Iustitia fidei</i> Galatæ a Paulo eruditi	130

**L** *Enitici* optima interpretatio vbi habetur

157

*Lex* cur per Mosen data sit 7. 8. legis quis sit finis 12. 14. leges ferre res facilis

12

Ad *Liberalitatem* Paulina adhortatio

128

*Libertas* falso credita Corinthiorum

126

*Frank, Scopus*

○

*Libra*

INDEX RERVM.

<i>Librorum V. Testamenti explicatio tutissima &amp; facillima ubi deprehendatur</i>	157
<i>De Linea sanctorum constare debuit populo Dei &amp; cur</i>	5
<i>Litteræ systaticæ seu commendatitiæ</i>	171
<i>Litteris cur non omnia sint mandata</i>	112
<i>Lucas quid præcipue spectauerit in Euangelio suo 113. quando Paulo sit in itinere ad sociatus</i>	116
<i>Lutheri doctrinæ abusus 162. ab ipsomet reprehensus 161. 163. &amp; a quouis fido ministro ecclesiæ reprehendus</i>	163. 173

<b>M</b> <i>Ανεροδομία Dei in populum Israeliticum quo valeat</i>	21
<i>Malorum generis humani origo &amp; medela vnde cognoscatur</i>	5
<i>Messie genealogiæ ratio cur habita</i>	5
<i>Miche ætas 94. harmonia cum Iesaiâ</i>	ibid.
<i>Ministerii ecclesiastici duo fines 77. grauitas agnoscenda</i>	147
<i>Ministri ecclesiæ quo in speculo sese contemplari debeant 146. veri a falsis dignoscendi</i>	147
<i>Miracula a Iosua patrata typi nouissimorum Dei iudiciorum</i>	17
<i>Miriam epinicion cantans</i>	52
<i>Moralis doctrina in prouerbiis</i>	65
<i>Moses quomodo in Genesi spectandus 4. perfectus legislator 14. propheta</i>	15
	<i>Mysteri-</i>

INDEX RERVM.

*Mysterium* Christi notum facere Paulo constitutum fuit 117. *Mysterium* crucis in libro Iiobi 41. in captiuitate Babylonica 82

**N** *Abumi* ætas incerta 96. 97

*Naufragium* Pauli minus recte explicari ex Actor. XXVII.

*Negligentia* in restaurando templo reprehensa 104

*Nehemie* virtutes & facta cur memoriæ prodita sint 38

*Nineuitarum* conuersione quid Israelitas docere Deus voluerit 93. 94. *Nineuitis* in peccata telapsis pœnæ denuntiantur 96

*Nos* ἡμεῖς, ἡμεῖς quid in Epistola ad Ephesios denotet 134

*Noui Testamenti* libri quotuplicis sint generis 109

**O** *Badias* quo tempore vixerit 92. quibus prophetauerit 92

*Oeconomica* tabulæ in prima epist. ad Timotheum 147

*Olitori* similis Paulus esse dicitur 118. 119

*Operum* bonorum studium quomodo inculcetur 162. 163

*Ordinatio* ecclesiastica in epistola prima ad Timotheum 146. & Titum 150

○ 2

Papa.

- P** *Apatus* subtilis inter huius ætatis homines 163
- Paulus* passim tractat scopum V. T. & cur? 2. 3. quæ dicta ex V. Testamento potissimum allegat 99. 100. quomodo nœuos in ecclesia tulerit 125. illius circumspectio & prouidentia 118. Fides & amor 119. 138. 141. motus diuini Spiritus in eo 142. eius ad mortem præparatio 149. cygnea cantio 149. esse eum auctorem epistolæ ad Hebræos 153. seqq. Iacobo non contradicere 172. similem esse olitori 118. 119
- Pax* in ecclesia Dei quærenda quomodo 135
- Persuasio* humana pro vera fide sæpe venditatur 160
- Phrases* diuersæ cur a Paulo & reliquis Apostolis adhibeantur in doctrina de Iustificatione 160
- Pene* in impios Israelis reges quo valeant 26
- Pœnitentiam* concionantur omnes Prophetæ 70. quo argumento præcipue vtantur 71
- Psalmodum* præstantia 49. psalterium liber precum 43. & enchiridion biblicum ibid.
- Promissorum* diuinorum veritas 15. *promissis* ad pœnitentiam alliciunt prophetæ 71
- Prophetarum* scopus in genere 75. prophetis nomina imposita esse non sine Dei prouidentia

INDEX RERVM.

dentia	100
<i>Providentia</i> Dei admiranda in populi sui castigazione 82. hinc eam præcipue elucere	32
<i>Pugna</i> Draconis & Agni in libro <i>Estheræ</i> quid denotet	39
<b>R</b> <i>E</i> formatio in Veteri Testamento figura fuit reformationis in Novo Testamento	37
<i>Regimini</i> mutatio in populo Israelitico	21
<i>Regni</i> Dei & Satanæ perpetuam esse oppositionem vnde constet	28. 39
<i>Reprehensionem</i> vitiorum quomodo instituerit Paulus.	126
<i>Restitutio</i> populi Iudaici in Iudæam cur facta sit 36. cur decem tribus non fuerint restituta	36. 37.
<i>Ruth</i> femina ethnica viro iudaico iuncta conubio quid denotet	20
<b>S</b> <i>A</i> cerdotium Leviticum cur sit institutum quodnam eius præcipuum obiectum	ibid.
<i>Sacrificia</i> cur instituta 10. Christi sacrificium cultu Levitico adumbratum	9. 10
<i>Salomonis</i> res bene & male gestas quomodo debeamus intueri 27. regnum eius felicissimum	52
<i>Samuel</i> insignis propheta 21. per totam vitam Dei fidelis servus	22
O 3	San.

INDEX RERVM.

<i>Sanctorum</i> mens & adfectus in psalterio depicti 43. 45. 47. opera non facile imitanda	48
<i>Sapientia</i> recondita reuelatur in libro Iiobi 41. in epistola ad Timotheum	147
<i>Satane</i> νοήματα in subuertendo populo Dei	39
<i>Scopus</i> cuiusque libri Biblici vid. in synopsi. de scopo Veteris Testamenti passim agit Paulus	2
<i>Scripturae</i> S. interpretatio solida vnde dependeat	2
<i>Seductionis</i> pericula quomodo anteuertere studuerit Paulus	169. 170
<i>Seductos</i> tractandi modus in epistola ad Galatas ostenditur	131. 132
<i>Sermo</i> hominem discernit a belua	44
<i>Serui</i> Dei a mercenariis distinguendi	147
<i>Sionis</i> vestatio praedicta	95
<i>Solatiu</i> quomodo Apostoli suis impertire soliti sint	165
ספר תוכחות cur vocetur Deuteronomium	14
<b>T</b> <i>Abnacu</i> lun cur exstructum sit	7
<i>Tepidi</i> Christiani in Epistola Iacobi excitantur	172
<i>Testamentariae</i> tabulae in Secunda Petri epistola	167
<i>Testimoniu</i> m cui dare soliti sint Apostoli	171
<i>Theocraticae</i> rædium in populo Israelitico	21
<i>Threni</i>	

INDEX RERVM.

<i>Tbreni</i> vaticinio Ieremiæ adiungendi	29
<i>Timotheus</i> a Paulo excitatus	148
<i>Tinge</i> vrbs Numidiæ a quibus condita	16
<b>V</b> anitas rerum humanarum	66
<i>Vastatio</i> Sionis ac Hierosolymorum a Micha prædicta	95
<i>Vaticinia</i> de Christo quomodo Gentibus in- notuerint	83
<i>Verbum</i> Dei a doctrinis humanis dignoscen- dum	147
<i>Veritas</i> diuina facile in peregrinum sensum potest rapi	144
<i>Versio</i> librorum V. T. in linguam Græcam	83
<i>Virtutum</i> christianarum studium	172
<i>Vita Christi</i> cur per quatuor euangelistas enar- rata sit	114
<i>Vos</i> (ὁμοῖς, ἡμοῖς) quid denotet in Epistola ad Ephesios	134
<b>Z</b> ephania Ieremiæ σύγχρονος	100

FINIS



INDEX

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

FINIS









48292V

ULB Halle


3

005 470 951



126281





AVGVSTI HERMANNI

FRANCKII,

S. THEOL. PROF. ORD. PAST. VLRICIANI,  
ET GYMNASII SCHOLARCHÆ

COMMENTATIO

DE

SCOPO LIBRO.

RVM VETERIS ET NOVI  
TESTAMENTI.



Col. III, II. Τα πάντα, και εν πασι  
χειρός.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ.

Typis & impensis Orphanotrophei, cl bcc xxiv.